



H. Asiae  
481

1. 26<sup>b</sup>

Asia 327  
~~1063~~

120  
HISTORIAE  
PERSARVM ANTIQVISSIMAE  
CVM GRAECORVM ET EBRAEORVM  
NARRATIONIBVS CONCILIANDAE  
SPECIMEN

---

DISPVATIO HISTORICA

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
AVCTORITATE

A. D. XXVIII. OCTOBR. MDCCXCV

DEFENDET

CAROLVS FRIDERICVS RICHTER

PHIL. D. AA. LL. M.

SOCIO

AVGVSTO GOTTLOB HOFFMANNO

BVDISSENSI

THEOLOGIAE CVLTORE

---

LIPSIAE

EX OFFICINA SOLBRIGIA.

LISTE  
DES  
MUSEUM ANTIQVARIAT  
DE  
MUSEUM ANTIQVARIAT  
DE  
MUSEUM ANTIQVARIAT

DISTRICT HISTORICAL  
MUSEUM  
OF  
THE  
CITY OF  
DRESDEN

CAROLUS FRIEDRICH RICHTER  
MUSEUM ANTIQVARIAT  
DE  
MUSEUM ANTIQVARIAT

AUGUSTO GOTTLIEB HORNEMANN  
MUSEUM ANTIQVARIAT  
DE  
MUSEUM ANTIQVARIAT

LISTE  
EX OFFICINA BOENNERIA

P A T R I O P T I M O  
D. JOANNI GOTTLÖB  
RICHTERO

P A S T O R I A D A E D E M C A T H E D R A L E M  
F R I B E R G E N S I S D I O E C E S E O S  
S V P E R I N T E N D E N T I

H V N C L I B E L L V M A C A D E M I C V M

S A C R V M

E T

P I E T A T I S M O N V M E N T V M E S S E

C V P I T

F I L I V S.

PARTI OPTIMO

D. JOHANNI GOTTLIEB

MICHELLO

PHYSICAE ET ASTRONOMIAE  
TRIGONOMETRIAE  
SYNOPSIS

IN ACADEMIA

BAVARIA

ET

PHYSICAE MONASTRIUM

MDCCCLXXII

PLATE

---

**D**e rebus Perſarum antiquiſſimis, quamuis haud pauci ingenii pariter ac doctrinae laudibus celeberrimi, quorum ſtudia in hiftoriis Aſſyriacis enodandis occupata deprehendimus, multa differuerint, ab ipſorum rationibus et conſiliis tamen alienum videbatur, Orientalium traditiones in examen vocare. Quicumque enim ſeu in chronologia vniuerſa emendanda ſeu in Ebraeorum hiftoria ab aduerſariorum calumniis vindicanda verſarentur, res Perſarum ex Orientalium traditionibus collectas, ab Occidentalium notitia nimis recedentes, aut leuiter tantum perſtringendas aut omnino praetermittendas eſſe cenſuerunt. Quae quidem opinio, ſcriptores nimirum Orientales in rerum Aſſyriacarum Medicarumue hiftoriis explanandis non eſſe curandos, quo maiorem hiftoricae diſciplinæ ſeueritatem prae ſe ferre atque tueri videtur, eo facilius eruditis probata fuit, et eo uſque inualuit, vt ii, qui patriis ſcriptoribus neglectis, exterorum veſtigiis vnice inſiſtere mallent, de hiftoria bene meruiſſe iudicarentur. Neque iſtam opinionem deſeruiffent, niſi litterae Orientales majori ſtudio excultae, ſuam in alias doctrinae partes vim atque vtilitatem ab hiftoria et chronologia maxime deſideratam exſerere coepiffent, quarum diſciplinarum fundamentis

A

mentis

mentis, densissima nocte obductis *Newton* <sup>a)</sup> Iumen accendere cupidus, Orientalium narrationes de regno Persarum primum diligentius examinavit. Cujus studia licet Anquetilii plausum non tulerint, historicos tamen de hoc adminiculo adhibendo feliciter monuerunt, adeoque historiae vniuersalis <sup>b)</sup> auctores commouisse videntur, vt fragmenta *Teixeirae*, in variis libris repetita, historiae vniuersali adjicerent. Rari cum exinde fructus ad Persarum historiam explanandam redirent *Anquetilii* <sup>c)</sup> restaurator iste Persicarum litterarum in Assyriorum ac Medorum historia cum Persarum traditione comparanda nobis auctor extitit atque praeceptor, quem <sup>d)</sup> alii in grauioribus Orientalium et Graecorum contradictionibus auferendis, et in tot historicorum locis summa

a) Newton chronology of ancient Kingdoms.

b) Hist. vniuers. Ant. Tom. IV.

c) Memoire dans lequel on essaie de concilier les auteurs grecs et principalement Herodote et Ctesias, sur le commencement et la durée de l'empire Assyrien et ces écrivains avec les Perses sur les regnes qui forment ce que les Orientaux appellent la dynastie des Peshdadiens. — Memoire sur l'empire des Medes et celui des Perses comparés avec la dynastie connue dans les ouvrages des Orientaux sous le nom des Kéaniens. Hist. de l'acad. des Inscriptt. Tom. XL. — Supplement au memoire sur les dynasties des Peshdadiens et des Kéaniens. Memoires de Litterature Tom. XVII.

d) Auctor libri ab Hismanno conuersi: Histoire nouvelle de tous les peuples du monde — ou histoire des hommes. Tom. I. et II. John Richardson Abhandlung-über Sprachen, Litteratur und Gebräuche morgenländischer Völker, übersetzt von Federau. *Wahl's Geschichte der morgenländischen Sprachen*, p. 155—174. Idem de fontibus historiae Persarum iudicauit in hoc libro: Altes und Neues, Vorder- und Mittel-Asien, oder, pragmatische, geographische, physikalische und statistische Schilderung und Geschichte des Persischen Reichs von den ältesten Zeiten bis auf diesen Tag, I. Band. (cujus libri altera pars in historia Persarum enarranda maxime versabitur.)



ma obscuritate impeditis, illustrandis, tam prospero successu usum non sine multo fructu secuti sunt. Post messem ab his Viris collectam spicilegium observationum quarundam fieri tamen posse arbitratus, Graecorum historias cum Orientalium narrationibus denuo comparavi, in quo utrum recte an male statuerim, sit penes doctiores iudicium.

*De fontibus historiae Assyriacae.*

*Ctesias* <sup>e)</sup> in Persicis, quibus Diodorus Siculus in bibliotheca historica usus est, et cujus chronologiam Eusebius in chronico, Pompejus in historiis Philippicis, Vellejus Paterculus et omnes fere Chronographi senioris aetatis secuti sunt, inter rerum Persicarum scriptores principatum tenere videtur. Regis enim Artaxerxis Mnemonis medicus, qui per septendecim annos Susae vixit, et linguae Persicae peritus quibusvis monumentis ac scriptis uti potuit, omnibus certe officiis satisfecit, quae historico fidem conciliare possunt, siquidem ei, qui his adminiculis adjutus, ad historiam conscribendam accedit, facultas et copia certe denegari nequit, neque de ipsius animo et vera narrandi studio dubitare licet, cum nulla causa cogitari possit, quae ipsum ad vera tacenda et falsa tradenda permoverit; quare Veterum plerique *Ctesiae* chronologiam amplexi historias Herodoti ex illa emendandas esse censuerunt. Fabulae enim quas *Ctesias* in Indicis protulisse fertur, alii ejus operi ideo nondum fidem detrahunt, quando quidem nos saepe miramur, quae ignoramus.

A 2

*Hero-*

e) *Ctesiae* fragmenta e Codice 68<sup>vo</sup> et 161<sup>mo</sup> bibliothecae Photii a Stephano edita.

*Herodotus* itinere in Assyriam facto ad hujus regni instituta, religiones, mores et conuersiones enarrandas bene praeparatus, librum confecerat, cujus jacturam vel nunc acerrime dolemus *f*). Quae vero de Assyriaci regni temporibus commemorauit *g*), ea de quadam epocha illius intelligenda esse, omnium fere historicorum testimonia postulant, qui regno Assyriaco cum Ctesia ad vnum omnes, multo plures quam quingentos et viginti annos tribuunt. Herodotus quidem in moribus, institutis et ritibus populorum obseruandis diligentissimus, alia tamen male intelligere, alia finistre obseruare potuit, cujus rei vestigium vel in eo deprehendere mihi videor, quod florentissimam regni Assyriaci aetatem pro indicio vniuersi temporis habuerit, per quod illud extitit, quae, quamvis diuersa, eo facilius tamen commutari potuerunt, quo majori specie veteribus is demum regnasse dictus est, quo rege fines imperii longe lateque patebant, in diesque proferebantur. Haec pro meo consilio de vtriusque scriptoris auctoritate et vtu monenda fuerunt, quum a iudicio de Herodoto et Ctesia ferendo his in rebus omnia pendere videantur, quos si inter se conciliaueris, in constituenda regni Assyriaci chronologia aliter verseris necesse est, quam si aut Ctesiam Herodoto, aut hunc illi semper praefendum, alterutrumque plane negligendum existimaueris. Africanum, Eusebium, Syncellum, Cedrenum aliosque jam missos facio, quippe quos vel Ctesiam secutos, vel ex Cephalione *h*), et Abydeno haufisse constat, quorum testimonia si primariis scriptoribus aduersantur, vel hanc

*f*) Herod. I, 105, 184.

*g*) Herod. I, 95. cf. Diod. Sic. II, 52.

*h*) Syncell, p. 167, Eusebii Chron. ex ed. Scaligeriana p. 52.

ob

ob causam, quod et ipsi secum pugnant, deque fontium puritate et veritate nondum quidem nobis persuadere possumus, vix admittenda, sed ad probatae fidei scriptores conformanda esse censemus. Quae supersunt fragmenta i) ex Chaldaicis Berosi servata, ad mythicam Assyriorum historiam maxime spectant.

*Moses Chorenensis* k) scriptor quinti seculi qui intra tempus concilii Ephesini et Chalcedonensis mortuus esse videtur, quia illius quidem mentionem fecit, hujus autem nullam, mediocriter edoctus, majori credulitate quam iudicio ex aliorum commentariis historias suas contexit, neque tam acutus ac perspicax fuit, qui in dubiis atque obscuris veritatem ipsam indagaret, nedum adeo callidus et versutus, ut fabulas confingere atque comminisci posset. Illud profecto ingenuum in eo apparet, quod semper fere fontes indicat, ex quibus sua hausit, quod non solum accuratius ipsius studium prodit, sed etiam magnam auctoritatem ipsi vindicaret, si fontium adhibitorum descriptio vera esset nobisque copia de iis iudicandi parata. Cephalionis enim compendio et *Mar Ibae* Catinensis historia antiquissimorum Armeniae regum usus est, cui aditus ad regiam Niniues bibliothecam patuisse fertur, ubi volumen iussu Alexandri ex Chaldaico sermone in Graecum conuersum inueniebat, quo rerum antiquissimarum historia continebatur. Nostri igitur scriptoris auctoritatem illud maxime confirmare videtur quod *Mar Ibam* e tabulis publicis plura de promissis contendit.

A 3

tendit.

i) Berosi fragmenta vide in Iosephi Archaeologia et Eusebii Chronico.

k) *Mosis Chorenensis historiae Armeniacae libri III*, ex ed. Whistoniorum. Vid. Praef.

tendit. At cum omnia a justo et recto horum fontium usu pendeant, qui pro credulo Mosis ingenio non optimus fuisse videtur, auctoritas ipsius non tanta erit, ut inter reliqua historica Asiae antiquissimae monumenta principatum teneat, imo in iis quae de Assyriorum et Medorum regno commemoravit, aut Graecos secutus, aut ex iisdem fontibus hausisse censendus erit. Quod si priorem sententiam amplexus fueris, tum antiquitate, tum iudicii maturitate Ctesias semper erit Mosis Chorenensi superior, posteriorem si praetuleris, novum inde Graecorum narrationibus adstruetur fundamentum.

Antiquitate scriptorum Pehleuicorum atque Zendorum concessa, quam iis <sup>l)</sup> Anquetilius et <sup>m)</sup> Kleuckerus iustis de causis vindicasse videntur, libro Pehleuico Bondehesch, historiam Persarum antiquam enarranti maxima fides in Orientalium traditionibus habenda erit. Quamvis enim hic liber Pehlevicus mythos et varias magorum fabulas cum factis certis commixtas continet, tantum abest, ut hi mythi fidem libro habendam infringant, quin eam potius antiqua ipsorum forma ingenioque aetati mythicae proprio stabilire videantur. Profecto autem mirus iste omnium Orientis scriptorum consensus in antiquissimis Persarum rebus enarrandis, animum praeconceptis opinionibus nondum constrictum, in ipsorum partes trahere debet, quod reliqui Orientis scriptores si vel in regum annis constituendis aliisque minoris momenti rebus dissentiant, a narrationum in hoc libro traditarum summa  
nun-

<sup>l)</sup> Zend-Avesta, ouvrage, de Zoroastre traduit en françois par Anquetil du Perron. Tom. I. Part. II. p. 416. etc.

<sup>m)</sup> Kleuckers Anhang zum Zend-Avesta.

nunquam discedant, idque tanto majorem vim habebit, quanto minus hos scriptores ex vno eodemque fonte haussisse, vel ob leuem ipsorum dissensum probabile videtur.

*Ferduses* \*) Orientalium poetarum facile princeps, reliquis vel antiquitate superior, a Mahmude Sebeckteghini filio Sultano Gaznenfi rogatus, Persarum historiam carmine omnium quicquid Oriens protulit maxime sublimi atque venusto enarrauit. Sexaginta enim distichorum millibus componendis in libro regio res Persarum, si Orientalium sensum nostrum faciamus, immortalitati tradidit. Verum enim vero, nonne hae Ferdusis poetae laudes eidem historico detrimentum facient, num fidem historicam ipsi tribuere licebit, quam vt laederet poeta, nunc materiae sterilitas, nunc phantasiae ingeniique ardor flagitabant? Quo minus autem haec suspicio in nostrum scriptorem cadat, istorum temporum et populorum mores impediunt, qui quamlibet regum et factorum seriem nullis fictionibus adornatam, metrica tamen oratione grata et eleganti expositam carmen judicarunt praestantissimum. Deinde antiqua cujusuis gentis imprimis Orientis historia, si non tota in mythis versatur, haud paucos tamen heroas exhibet, quorum expeditiones atque facta stupenda, aut beneficia in suam gentem collata largam neque epico carmine indignam materiam offerunt. At, quod grauius videtur, si vel Ferdusem fabularum inanium calumnia liberaueris fides ejus historica tamen nondum satis firmata reperietur, quia in cujusuis historici auctoritate definienda de fontibus, ex quibus haussit, quaeri

\*) The poems of Ferdosi translated from the Persian by Joseph Champion Vol. I. London 1788. Continet octo libris historiam inde a Cajumaritho vsque ad Rustemum natum.

quaeri debet, Ferduses vero non indicavit, quos duces secutus, quibus monumentis in suo carmine conscribendo usus fit. Quibus quidem concessis de Ferdusis auctoritate tamen non omnino desperem, neque enim is qui auctorem narrationis tacuit, e turbidis fontibus illico hausit, siquidem istius aetatis indoles, ab arte historica aliena, scriptorem ob talem negligentiam in mendaciorum suspicionem induci posse non patitur, si modo cum aliis consentiat resque ab ipso traditae neque rationi, neque historiae contrariae inueniantur. Quare noster quoque scriptor sequendus erit, donec ipsum cum gravioribus testibus pugnantem neque minus ab historia quam a sana ratione discedentem intellexeris.

Cum Ferduse in regum serie enumeranda et in summa narrationum parte Mirchondus conspirat, etsi multa nostro scriptori propria ipsum ex imprudenti imitatorum grege eximunt et a culpa coecae fidei in vestigiis aliorum premendis satis liberant, cujus scriptoris bibliotheca historica (Raudhat al Safa) nobis opera et studio filii Chondemiri <sup>o</sup>) innotuit. De historiae autem hujus fontibus neque pater neque filius nos edocuerunt, cum a more istius aetatis accuratius harum rerum studium omnino alienum esset, quae tamen omissio haud paucis justa erit causa, cur ipsis fidem denegent, non cogitantes, annon sic ars critica nimio iustitiae studio incitata scriptoribus Orientalibus injuriam faciat. Quid enim juuaremur, si vel maxime hi scriptores auctorum, quos secuti sunt,

nomina

<sup>o</sup>) Narrationes Chondemiri acceptas primus dedit Petrus *Teixeira* in Relatione dell Origen de sentencia y succession de los Reges de Persia y de Hormuz. Antwerpen 1610. Repetiit eas Stevens history of Persia Lond. 1715. Davity les états, empires du monde St. Omer 1621.

nomina professi essent, de quibus et ipsis, nil certi nobis constaret, neque adeo judicari posset? Nonne tandem ad traditionem, tanquam ad primum fontem omnis Orientalium historiae origo redibit, de cujus veritate vel falsitate, sensus historica disciplina excultus, et sana ratio vel omni auctoritate destituta, probabiliter decernere potest? Senioris enim aetatis esse omnes Orientis scriptores superstites, penes quos de rebus tot seculis ante gestis, testimonium nullum esse potest, quis est, qui ignoret? Quid igitur horum scriptorum nomen, aetatem et auctoritatem moramur, vbi de interno historiarum nexu, deque veri similitudine ac probabilitate potius quaerendum est? Haec ad usum illorum scriptorum defendendum dicta esse velim, quorum copiam nobis *Herbelotius* in Bibliotheca Orientali fecit; haec valeant de Jahia, filio Abdollatiphi, Alcazuiniensi, auctore historici operis, anno Hegirae nongentesimo quadragesimo octavo compositi, cui titulus praemittitur Lob al Taovarich: *p)* nec non de Hamdallae, filii Abubecri chronico, Persice Tarich Khozideh dicto, quod historiam vniuersam complectitur, et ad annum Hegirae septingentesimum trigessimum continuatur. Nec minori fide, qui excipitur, dignus est auctor chronici Adamitarum, *q)* quod annum nongentesimum nonagesimum nonum Hegirae aetate superat.

Quae

*p)* *Lob al Taovarich*, seu medulla historiarum auct. Omnia Jahia Abdollatiphi filio Cazviniensi, interpretibus e Persico, Gaulminio et Gallando. Paris. 1690. Cujus libri olim prohibiti exemplum rarissimum in Bibliotheca Electorali, Dresdae reseruatur, ex quo *Reiskius* versionem latinam descripsit, eamque collectioni Büschingianae, Historiae et Geographiae dedicatae inseruit.

*q)* *Tarich Beni Adam*, a Veith Marchthalero in Germaniam allatum, a Schikardo editum.

B

Quae nobis imotuerunt fragmenta *Hamzae* Isfahanensis, auctoris historiae vniuersalis, (Tarich al Omam) scriptoris seculi Hegirae quarti, cum narrationibus libri *Pehleuici*, *Bondehesch* non minus conspirant, quam quae Anquetilius <sup>r)</sup> ex collectione annalium (Modschmel al Tauarich) et epistolis magorum (Rauaët al Mohbed Baram Schapur) excerpta, nobiscum communicauit.

Quum Ebraei res suas enarrantes, finitimorum populorum historiam, quibuscum aut bella gerebant, aut alia necessitudine conjuncti erant, attingere cogentur, res imperii Assyriaci tum demum commemorare coeperunt, quando principatus Assyriorum regnum Israelitarum angustioribus finibus includere, et ipsorum pacem turbare minatur. Quomodo autem scriptoribus sacris, nullam Veterum Persarum mentionem injicientibus, in Persarum historia tanquam fontibus uti possimus, is non mirabitur qui neglecta nominis diuersitate in eo acquiescit, quod eadem de utrisque tum Persarum, tum Assyriorum regibus narrantur. Quo igitur jure Graecorum historias de Assyriorum rebus cum gestis Persarum comparamus, eodem etiam Scriptoribus sacris, in iis, quae de Assyriis narrant, historiae Persarum explanandae causa conferendis, uti solemus, si vel maxime Ebraici scriptores a Graecis, praesertim in terminis regni constituendis dissentiant. Mallem enim Graecos scriptores atque Orientales parum accuratae dictionis vitio obnoxios videre, quam Assyriacos Graecorum atque Ebraeorum reges diuersos existimare. Quando Graeci nimirum Assyriis principatum vindicant, et fines imperii ipsorum longe lateque prolatos describunt, in libris sacris nulla fit Assyriorum mentio, quam-

<sup>r)</sup> Zend-Avesta T. I. P. II. p. 352, et p. 418. etc.



quamuis res Ebraeorum Abrahami, Suffetum et Samuelis temporibus admodum florentes, cupiditatem Assyriorum, atque Palaestinae occupandae studium satis vehemens in iis excitare potuissent.

Cui argumento, a librorum sacrorum silentio petito, b. Michaelis <sup>s)</sup> tantam vim tribuit, vt fere ad eorum partes, qui regnum Graecorum Assyriacum, ab illo in libris sacris delineato, longe diuersum existimant, descendere videatur. Quo minus autem in eandem sententiam abeamus, quaecumque tandem loci Gen. X, 11. interpretatio fuerit vera, siue Niniuitas a Babyloniiis profectos, siue Assyriorum et Babyloniorum regnum ab initio conjunctum existimaueris, narrationis ratione impedimur. Quod si enim Ninus <sup>r)</sup> intra septendecim annos Aegyptum, Phoeniciam, Phrygiam vtramque, Troadem, Propontidem, Cappadociam omnesque terras Tanais littoribus adjacentes debellasse, Mediam atque Chaldaeam occupasse et contra Bactrianorum regem expeditionem, a fide alienam fecisse fertur, quis non videt, haec variorum facta a Ctesia ad regni auctorem, qui quidem belli gloria et nominis dignitate insignis esse debebat, translata esse? Deinde res Assyriorum, initio certe paruas, tam breui tempore, tanta incrementa capere non potuisse, quanta ad totam fere Asiam bello opprimendam desiderantur, rei natura atque experientia testatur. Ante Ninum si quis scire cupiat, quales reges Assyriorum fuerint, is parum a veritate aberret, qui de quinque regulis, Abrahami aequalibus cogitet, quos, ope tercentorum et duodeuiginti seruorum profligatos, fugae dedit, de quibus Diodorus <sup>u)</sup> fatetur, olim in

B 2

Asia

s) Praef. ad Iesaiæ oracull. versionem vernaculam.

r) Diod. Sic. II, 2.

u) Diod. Sic. II, 1.

Asia fuisse reges indigenas, cuius regioni patrios, quorum facta a nemine depraedicentur, et quorum nomina ne memoriae quidem mandata sint. Ninus igitur et Semiramis Diodori, <sup>v)</sup> cuius regnum ad omnem fere Asiam pertinuisse fertur, tunc temporis vix cogitari poterit, si vel primas regni Assyriaci origines ad aetatem proximam post diluuium Noachicum retuleris, fabulasque magorum <sup>w)</sup> cum vtraque et Chaldaica et Arabica dynastia ante Ninum amplexus fueris. Quod si igitur variorum expeditiones Nino tributae sint, et posteriores Semiramidis demum Asiam minorem occupauerint, locus I. Sam. XV, 7. in quo Saulus Amalecitas inde a *Chauila* vsque ad *Pelufium* fugasse legitur, Assyrii vero ad fines, ab Ebraeorum impetu muniendos, nihil fecisse dicuntur, neminem offendet. Scriptor enim Amalecitarum tribus, per varios Arabiae tractus dispersas, ab Ebraeis deuictas ait, quorum tractuum terminum Euphratem et Pelufium non nimis vrgendum constituit. Quid vero suadeat, vt de *Chauila* ad *Pischonem* sita, quem de Euphrate vulgo intelligunt, cogitemus, nihil equidem video, imo de *Chauila*, Arabiae vrbe cogitandum esse videtur, siquidem Amalecitas ad Euphratis littora vsque habitasse nusquam docemur, ipsos vero Arabiam cum gregibus suis perrerasse, ex Arabum historia constat. Locus saltem incertior est, quam qui de Assyriorum regno quicquam decernere possit, quod nullum aut maxime infirmum fuisset, si ab hostium impetu ne fines quidem defendere, nedum alias terras sibi vectigales reddere potuisset. Si igitur certum sit, Palaestinae nec non Asiae minoris regna primis Assyriae regibus non paruisse,

<sup>v)</sup> Diod. II, 2—6.

<sup>w)</sup> vid. Berofus, Abydenus, Apollodorus et Alexander Polyhistor in Euseb. Chron. p. 5—8. Syncell. Chron. p. 90.

ruisse, nihil relinquitur, quod nos impediatur, quo minus res Assyriorum a Graecis et Ebraeis descriptas, vnius ejusdemque gentis historiam esse judicemus. Etsi permulti, Assyriorum atque Medorum historias meliori fundamento, quam Orientalium traditiones de rebus Persarum niti arbitrantur, mihi quidem, Persarum fabulas historiae vindicatoro, ille rerum ordo aptior videtur, quando scriptorum Orientalium narrationes tanquam pro basi substruuntur, quae historiam Assyriorum et Medorum non minus illustrare possint, quam res Assyriacae ad Persarum traditiones explanandas facere debeant. Idem consilium in separanda parte mythica fabularum, ab historica narrationum aetate secutus sum, quamuis multi fortasse reperiantur, qui deneganda scriptoribus Orientalibus historica laude, omnes ipsorum traditiones ad mythicum tempus referendas esse existiment. Verum enim vero diuersa harum traditionum ratio, quarum aliae propius ad vim historicam accedunt, aliae vero, antiquiores nimirum, majorem fabulae speciem prae se ferunt, praecipua fuit causa, cur in aetate mythica, incerta ab incertioribus distingueremus, cui et illud argumentum accedit, quod ipsi historiarum et fabularum auctores secernant, neque eandem fidem omnibus haberi cupiant.

Chronologia vero Orientalium scriptorum tantis tenebris offusa est, atque tot difficultatibus premitur, ut vix illo nomine digna videatur, siquidem longiorem annorum seriem, regibus imprimis Pischdadiensis dynastiae, tribuere solent, quam quae ex vulgari ratione commode explicari possit. Si vero vel omnis chronologia Orientalium scriptorum deferenda esset, in regum serie tantus ipsorum est consensus, ut chronologia eo maxime iuuetur, quare hanc regum seriem vix vnquam turbendam esse putem.

*Mythicae de Persarum regno traditiones.*

Primum in Persarum historia locum, ex omnium Orientalium scriptorum testimonio, occupat *Cajumarathus* \*) quem primum hominem et regem fuisse tradunt, a Deo creatum, postea quam terra per sex annorum millia a malo libera extiterat, et per sequentes mille annos bona malis immixta regnarant †). Alii ‡) vero, *Cajumarathum* Noachicae aetati vindicantes, *Sethi* fratrem in eo agnoscunt, cui tamen vtraque pars, quamvis eum longaeuum sistat, imperium triginta tantum annorum tribuit.

Omnia beneficia, quae de primo cujusdam gentis rege praedicari possunt, ad *Cajumarathum* quoque retulerunt, quippe qui primus vrbes condidit, cum ante ipsum homines in speluncis et antris laterent; vestes lana et linteo factas cum pellibus commutare homines edocuit, et ritus istius auctor extitit, ex quo, regis pedes osculandi, subditis officium incumbit. Quae cum non tam regi, quam vnicuique conueniant, qui erga suos ciues praeclaris institutis, prudentia et virtute beneficus fuit, mores eorum feroces, mansuetos et mites reddere studuit, *Cajumarathus* haud dubie inter Persas meliorum institutorum et commodioris vitae auctor extitit, cui igitur antiquissimam aetatem (in hanc enim optime cadunt, quae de ipsius fati narrantur) merito tribuere solent. *Cajumaratho*, terrae *Adherbidfchanensis* regi, duos filios fuisse perhibent, quorum alteri, *Siameco* pater regnum eo consilio tradidit, vt ad priorem vitae simplicitatem redire, et ibi quicquid annorum superesset, diuino cultui dicare posset, qua felicitate

\*) *Herbeloth* D. U. Th. II. p. 76. *Ferdosi Shah Nameh* Book I.

†) *Hamzah d' Ispahan*, *Zend-Avesta* Tom. II. §. 52.

‡) *Chondemirus*; v. *Stevens history of Persia*. Cap. I.

citare vero per breue tantum tempus ei frui licuit, quia Siamecus, filius, rex constitutus, a Gigantibus mox occisus est. Siameci filius, Huschenkius, <sup>a)</sup> Cajumaratho in Persarum regno successit, primus societatis et ciuitatis auctor, qua legibus sapientissimis et iustissimis munita, nomen Peshdad seu Iusti accepit, quod deinde ad omnes hujus dynastiae reges translatum est.

Ipsum inter et Cajumarathum interregnum ducentorum annorum fuisse traditur, quae narratio inde exorta videtur, quod filius regum thronum post patris regnum non occupauit. Huschenkius rege montes effossi et metalla conquisita sunt, tum, ut arma ac tela, tum ut instrumenta, ad agrum colendum necessaria inde pararent; fossae atque canales ducti sunt, quibus agricultura Persiae, nimia siccitate laborantis, multum adjuncta est. Cajumarathus fundae usum suos edocuerat, qua ingentes saxorum moles jaciebant; Huschenkius vero arcu, telis et ense in bellis gerendis primum usus est, ex quo artium incrementa aequae apparent, ac ex eo, quod agrum jam ab iis cultum videmus. Quo jure autem Cajumarathum urbium Balcae, Esthecaris et Damauendi conditorem appellant, eodem Susae, Babylonis et Esfahanis fundamenta ad regem Huschenkium referunt, de quo tamen et ipsi dubitant. Quia regni auctori et primis ejus successoribus urbes, quarum origines ignotae erant, tribuendas esse putarunt, haec notitia tot et tam variis vnus ejusdemque urbis conditoribus commemorandis incerta, neque aetatem horum regum accuratius definire poterit, neque, si urbium fundamenta recentiora videntur, iustam de regum istorum antiquitate dubitationem mouebit. Ex Orientalium traditione, Huschenkius rex pruden-

<sup>a)</sup> Herbel. Th. II. p. 769. Ferdosi Shah Nameh Book II.

dentissimus in eo non acquieuit, vt legibus et institutis virtute et sapientia suorum saluti confuleret, sed etiam libro, de prudentia omnium temporum scripto, gentis ingenia excoluit. Ab hac historica Huschenkii descriptione, scriptores orientales fabulas distinguunt, quae illarum narrationum veritatem tanto certius probant, quanto minori fide hae traditiones ab Orientalibus excipiuntur. Secundum has, monstro vectus, ad terras Mahiferorum, hominum quibus caput piscis erat, in potestatem redigendas, a Gigantibus in monte Damauendo interfectus, reliquit filium Martacendem, Anudschihanis patrem, neque vero imperii haeredem, quamuis eius proles in bellis, contra Gigantes gestis, optime de regno meruit.

*Huschenkii* historia, Oannis vitae similima, vel in mythica aetate probare potest, res Assyriorum vel Persarum de vno eodemque populo narrari. Berosi <sup>b)</sup> enim fragmenta Oannem bicipitem, piscem et hominem ex mari erythraeo prouenisse, Chaldaeos in iis, quae ad agrum colendum faciant, edocuisse, eosque in societatem coegisse tradunt, nec non auctorem libri de rerum creatarum institutione eum celebrant. Fabulae de homine eodemque pisce, eodem saltem tempore ab Orientalibus mentio injicitur, quamuis Oannes ipse biceps ex mari erythraeo in Chaldaeam migrasse, Huschenkius vero in peregrinam terram profectus homines bicipites offendisse, ille mores Chaldaeorum humaniores reddidisse, hic vero suos meliora edoctos, a barbarie ac ferocitate liberasse traditur. Vterque libro conscribendo, de quo sit fides penes auctorem, populi ingenia perpoliuisse fertur. Quare Cajumarathi et Huschenkii tempora, non omni ratione destitutus, cum iis comparanda

b) Hygin fabb. 274. Euseb. Chron. p. 5. Syncelli Chron. p. 28.

paranda existimem, quibus Oannes ad Chaldaeam appulisse traditur, nimirum ex Berofi et Abydeni fragmentis, regis Amelonis aetate, qui fuit tertius ab omnium primo rege Aloro, vti Huschenkius si breue Siameci regnum concesseris, tertius quoque rex inde a Cajumaratho recensetur. Tempori igitur centum et viginti Sarorum, ab Aloro vsque ad Xixuthrum, vltimum primae dynastiae regem praeterlapso, Cajumarathi et Huschenkii aetas opponi potest, quae ideo non totidem reges exhibet, quia Cajumarathi <sup>c)</sup> et Huschenkii <sup>d)</sup> nomen appellatiuum, plures reges complectitur, qui per spatium <sup>e)</sup> ducentorum nonaginta quatuor annorum, (tot enim annos a Cajumaratho vsque ad Huschenkium numerant,) regnasse videntur. Seriores scriptores, quibus haec, re nondum satis perspecta, parum verisimilia videbantur, tempus ita imminuerunt, vt Cajumaratho triginta, et Huschenkiio quadraginta annorum imperium tribuerent.

Huschenkius secutus est rex *Tahamurathus* <sup>f)</sup> potentissimus isque felicissimus Gigantum victor, Babylonis, Niniues, Isfahanis conditor, quem alii filium Anudschihanis, nepotem Martacentis, alii filium regis Leilanis, nepotem Tahamurathi, pronepotem Siameci fuisse tradunt. Haec diuersitas genealogica satis clare innuit, aut duos filios Huschenkiio fuisse, quorum alter Tahamurathus patri successit in regno, alter Martacendes, expeditione in terras conterminas facta, nouum regnum sibi parare studuit, aut Tahamurathum Martacenti, affinitate conjuncto, imperium ademisse. Caeterum fabula orientalis narrat, Huschenkius

<sup>c)</sup> Regis pulueris.    <sup>d)</sup> Sapientis.    <sup>e)</sup> Zend-Avesta T. II. p. 352. note.  
<sup>f)</sup> Herbel. Th. II. p. 457, Ferdosi Shah Nameh Book III.

kium, ab aue miraculosa Simorganka in proeliis contra Gigantes sustentatum, bonis geniis contra malos auxilium tulisse, atque Gigantes ferocissimos, in monte Caf latentes, Ardenscum et Demruschum praelio superatos, catenis constrinxisse, denique vero a gigante Hudconzo devictum, regno longe lateque patente, diem supremum obiisse. Quis autem hunc regem antiquissimis temporibus non assignet, heroa bellis contra malos genios atque gigantes clarum, merito ad mythicam aetatem referendum? Cum de Chaldaica g) et Arabica dynastia, quae inter Xixuthrum et Belum ab Eusebio et Syncello h) collocatur, nulla omnino fragmenta supersint, nisi regum nomina, neque Arabiae monumenta historica altius supra aetatem ante Mohammedem ascendant, vereor quidem, ut conjectura quam foueo, demonstrari possit, dubito tamen, an sit penitus abjicienda. Quisque enim in Persarum regno dynastiam Arabum mirabitur, cum Arabes tam antiquis temporibus nulli veterum commemorentur, opibus et imperio potentes, quos potius, si Arabiam tum jam occuparant, pro vitae simplicitate, non terris imperasse, sed greges armentaque in pascua egisse credibile est.

Deinde nomen auctoris dynastiae Arabicae nemo negabit, idem esse, ac nomen filii regis Huschenkii, siquidem nulla intercedit diuersitas inter Martocentis et Mardocempadis nomen. Vterque auctor dynastiae, si non erat, tamen esse debebat, nihil enim Huschenkii filium regno excludere poterat. Denique ad quam aetatem Eusebius atque Syncellus his ambabus dynastiis intercalandis, regni Assyriaci origines contra omnem veri speciem transferunt? Quare Arabicam dynastiam cuius auctor Martoc-

g) Euseb. Chron. p. 14.

h) Syncell. Chron. p. 90. et 92.



centes celebratur, de rege intelligendam esse arbitror; qui impetu in Arabiam facto, regno potitus cum successoribus per ducentorum et quindecim annorum seriem ibi habitavit, quibus annis ex Assyriorum historia eliminandis, haud parum probabilior chronologia ipsorum redderetur, et priori tantum dynastia nimirum Chaldaica admissa, quae ab Evecho vsque ad Zinzirum extitit, ducenti et viginti quinque anni inter Xixuthrum et Belum praeterlapsi, melius quadringentis et quadraginta annis cum chronologia conuenirent. Tahamurathi imperium et Assyriorum regnum ante Belum idem esse, exinde quoque apparet, quod ab Huschenkio, et Tahamuratho Babylonis, et Niniues fundamenda jacta esse narrant; neque enim Belus Babylonem intra regnum quadraginta annorum ita exornare potuisset, nisi jam ante ipsum vrbs exstructa fuisset. Quo minus tamen ego, chronologiae hujus aetatis contexendae munus in me suscipiam, non laboris molestia, sed rei natura est impedimento, cum is omnem operam atque oleum perdidisse videatur, qui temporis ordinem historiae restituendum sibi sumsit, cui nullus vnquam fuit. In eo igitur acquiescamus, vt regna Cajumarathi, Huschenkii, et Tahamurathi tempus historicum antecedere sciamus, quae, prouti cuique iustis de causis visum fuerit, longioribus vel breuioribus finibus includi poterunt.

Ad hanc aetatem referendus quoque erit Nemrothus, si locum Gen. X, 7. de singulo homine cum Michael<sup>i</sup>) aliisque explicueris; quem si vero de populo interpretatus fueris, in cuius originibus enarrandis scriptor paulo longius versetur, cuius quippe temporibus regnum Assyriorum jam incrementa ceperat, interpretatio eo confir-

C 2

mari

2) v. Notae ad l. I.

mari potest, quod ipsius aetate tot vrbes commemorantur, quae vix omnes a Nemrotho regni auctore exstructae sunt. Primus enim Assyriorum tyrannus, quem tam imbecilles reges secuti sunt, <sup>k)</sup> vrbes Babylonem, Edessam, Nesibin et Chalnen condere non potuit, quarum nonnullae in Singarenfi regione ne sitae quidem fuisse videntur. Quare populo vniuerso regni finibus prolatis, harum vrbiu fundamenta recte tribuentur, qui hac maxime de causa ab aliis Cuschi posteris separatim describitur, quia primus potentia et viribus insignis, de aliis gentibus dominium sibi comparauit. Recentiore Ninues aetatem haud obscure v. 11<sup>mus</sup> significabit, quamcunque demum verbi **נִינְוָה** interpretationem probaueris, in quo cum Graecis <sup>l)</sup> et Orientalibus sacri quoque scriptores consentiunt, quorum vtrique Ninum vrbem aetate seriori exstructam esse narrant.

Neque recentiori tempore bella assignanda erunt, ab Abrahamo contra reges terrae Singarenfis gesta, quae ob initia rerum Assyriacarum tam parua aetatem antecedere debuerunt, quae Belum atque Ninum protulit, Amraphelle, Ariocho, atque Kedorlaomero certe maiores ac potentiores.

Moses Chorenensis <sup>m)</sup> reges Abydeni antiquissimos fictitios esse ait, quorum nomina ac tempora immutata sint, et a rege Nebrotho, siue Belo, Medorum <sup>n)</sup> regnum inchoat, quem Armeniae regis *Haici* aequalem, quartum a Chamo recenset. Inter Nebrothum et Ninum quinque reges

<sup>k)</sup> Gen. XIV, 12.

<sup>l)</sup> Diod. II, 1. fundamenta Babylonis non excludere videtur, sed Babylonem a Semiramide demum ornatam esse narrat.

<sup>m)</sup> Cap. III. et IV.

<sup>n)</sup> Medorum nomine et Assyrios et Medos complectitur.

reges Medorum, totidemque Armenorum numerat, qui et ipsi ad incerta mythicae aetatis tempora remittendi sunt.

Ctesias horum temporum nullam mentionem facit, sed antiquissimos indigenas, Asiae reges omittit.

*Historicae de Persarum regno traditiones.*

Alii scriptorum Orientalium *Dschamschidum* <sup>o)</sup> Tahamurathi filium, et successorem constituunt, alii Anudschihanem Tahamurathi fratrem, Dschamschidi patrem sistunt, a quo aetatis historicae initium ea de causa duci poterit, quia nunc bella contra Gigantes atque daemones gesta definiunt, neque mythologia ipsorum traditionibus immiscetur. Quare imperio ejus ad septingentos annos extenso, Dschamschidi nomen de regum dynastia explicandum erit, et plures Assyriorum reges cum Dschamschidi imperio comparandi videntur. Dschamschidus urbem Esthecarem, cujus fundamenta jam a Tahamuratho jacta fuerant, novis aedificiis ornasse, et latissimum hortorum atque agrorum campum moeniis cinxisse, eoque die urbem regiam ingressus esse traditur, quo sol in arietis signo apparuit, unde hic dies Neuruz i. e. novus dictus est, quia primus veris dies est initium anni Persarum solaris, quod quidem unum ex ipsius institutis astronomicis ad emendandum Persarum ordinem fuit. Dschamschidum septem prouincias Asiae minoris occupasse, et Persarum regnum ejus temporibus ita floruisse perhibent, ut fastu elatus diuinum honorem affectaret, cujus flagitii causa cognatus ejus Schedades, rex Arabiae, hostis ipsi excitatus est, qui nomine religionis laesae, exercitu contra Dschamschidum,

C 3

duce

<sup>o)</sup> Herbel. Th. II. p. 555. Ferdosi Shah Nameh Book IV.

duce Dhohaco, misso, regno facili negotio potitur. Quo facto per omnem fere terrarum orbem, ipsis cognitum, iter fecisse fertur. Pro insigni ipsius sapientia, ciuibus in tres classes dispositis, primam militibus, secundam agricolis, tertiam iis tribuit, qui artibus liberalioribus studerent. Musicen adiuuit, Astronomiam vero non solum primus inuenit, sed mirum quantum excoluit, quare *Pythagoram* et *Thaletem* homines longe serioris aetatis, aequales ipsius constituunt. Vitae commodis et luxui, horreis frumento repletis, et vsu vini permissio <sup>p)</sup> consuluit, pontem qui ad Alexandri tempora vsque extitit, commercii adiuuandi causa in Tigride fecit, vigilias in arce regia agi, ab agmine satellitum stipari voluit; tribunal atque splendidissimum thronum exstrui curauit; quemuis ciuium ordinem vestium, inprimis tiarum forma distinxit; morem annulorum atque sigillorum in rebus publicis maxime adhibendorum introduxit, atque sinistrae manui maiores quam dextrae honores habuit. Dschamschidi aetate balnearum publicarum, tentoriorum et lectorum vsus inualuit, ars margaritas ex oceano piscandi innotuit. Dissensus scriptorum in genealogia Dschamschidi exponenda, conjecturam de varia gentis hujus stirpe non solum adiuuat, sed ea, quae nobis de Schedade Arabiae rege ex ipsius gente oriundo, acerrimo Dschamschidi hoste narrantur, maxime sententiam nostram de dynastia Arabica propositam confirmant, inprimis cum Dhohacum, exercitus a Schedade missi ducem, e Persarum gente ortum, in Arabia vixisse appareat. Dhohacus cur ibi latuerit, si principes Arabiae

<sup>p)</sup> Siue vini vsus antea illicitus fuit, ob magnam ipsius raritatem, siue scriptor haec ex suis moribus, tanquam maximi luxus indicia attulit. Dschamschidi aetas saltem ideo non ad tempus post Mohammedem referenda erit.

affi-

affinitate cum Persarum regibus conjuncti fuerunt, sic clarescet, et cur bello, in Arabia excitato, Dschamschidi thronum euerterit, facilius intelligetur, si Arabiam a Marto-cente Persa occupatam fuisse tibi persuaseris, cujus posterii Dschamschidum adorti, regnum recuperare studuerunt. Astronomiae accuratior cognitio ipsius temporibus efflorescens, et varia instituta, de emendando temporis ordine, cum iis optime comparari possunt, quae de Belo <sup>q)</sup> praedicant, qui obseruata astronomica, lateribus insculpta, in turri deposuisse atque centum et viginti horis anno addendis, sideralis scientiae auctor extitisse traditur. <sup>r)</sup> Dschamschidus urbem Esthecarem mœnibus cinxit, et longitudinem duodecim cum latitudine decem Parafangarum urbis ambitum constituit; Belus quoque Babylonem moeniis muniuit. Dschamschidus honores diuinos sibi haberi uoluit, uti Belus post mortem in Deorum numerum relatus est. Neque a Beli aetate aliena videntur, quae Orientales de ciuium ordinibus, a Dschamschido constitutis, deque nouo vestium et aliarum rerum usu introducto narrant. Alia Dschamschidi facta in Ninum et Semiramidem cadere, et ad utriusque regnum transferri possunt, quo maxime narrationes de expeditionibus et victoriis, Belo nunquam tributis traherem. Orientales a Dschamschido in Asia superiori septem prouincias subactas esse tradunt. Ninus <sup>s)</sup> autem Syriam, Ciliciam, Cariam, Phrygiam, Mysiam, Lydiam, Troadem, Propontidem, Bythiniam, Cappadociam, denique omnem Asiam minorem, et Asiam proprie  
 sic

<sup>q)</sup> Enseb. Praep. Euang. L. IX, 4.

<sup>r)</sup> Plin. Hist. Nat. L. VII, 26. Durat adhuc ibi Iouis templum. — Inuentor hic fuit sideralis scientiae.

<sup>s)</sup> Diod. II, 2.

sic dictam expugnata, regno suo addidit, neque minus  
 amplissimum Dschamschidi regnum, splendidissimo ac  
 potentissimo Semiramidis imperio conuenit. Nino et  
 Semiramidi <sup>r)</sup> tantorum operum, ac monumentorum,  
 et urbium auctoribus, merito Dschamschidus opponitur,  
 qui ob pontem, Tigridi impositum, omnes Persarum reges  
 ingenio atque arte ex Alexandri sententia superauit. Quo  
 largiores pontis sumtus fuerunt, qui utramque domum  
 regiam, cis et trans Euphratem sitam, coniunxit, quo im-  
 pensius hicce pons ab omnibus celebratus est, <sup>u)</sup> eo majori  
 specie pontem, a Dschamschido in Tigride factum, cum  
 ponte, a Semiramide in Euphrate exstructo, comparare  
 licebit, siquidem nemo erit, quem fugiat, Tigridem et  
 Euphratem saepissime a scriptoribus commutari, adeoque  
 Diodorum <sup>v)</sup> in situ urbis Nini describendo, eodem modo  
 errasse. Denique omnia, quibus Dschamschidus luxui et  
 morum mollietati inseruisse fertur, optime cum Nini et  
 Semiramidis temporibus conueniunt, splendore ac luxuria  
 conspicuis. Quod si autem mors Dschamschidi, regno pri-  
 uati, a paucis commemoratur, idem <sup>w)</sup> in Semiramide fa-  
 ctum deprehendimus, quae non mortua, sed ex hominum  
 conspectu ablata dicitur. Illud vero Dschamschidi insti-  
 tutum de pompa regia, de excubiis in arce regia habendis,  
 a mandato Ninnyae, milites ex prouinciis aduocantis, ad an-  
 num militiae munus sustinendum, parum diuersum esse  
 videtur. Dschamschidi igitur imperio, cui septingentos  
 annos constanter tribuunt, Beli, Nini, Semiramidis, Ni-  
 nyae, Arioci, Aralis, Balaji et Mamithri regna contineri  
 ideo censemus, quia Dschamschidus <sup>x)</sup> nomen dynastiae  
 pri-

<sup>r)</sup> Diod. II, 3.    <sup>u)</sup> Diod. II, 8.    <sup>v)</sup> Diod. II, 8. et 9. extr.  
<sup>w)</sup> Diod. II, 20.    <sup>x)</sup> Splendor solis.

primorum Persiae regum fuit, cujus singulos reges Jul. Africanus <sup>g)</sup> et alii accuratius recensuerunt, sacri autem scriptores omnino tacuerunt.

Vt autem de historia Assyriorum rectius judicetur, chronologica quaedam deinceps magis explicanda praemonenda sunt.

Quantum temporis Ctesias regno Assyriaco tribuit, bis, et quidem diuerso modo obseruatum legimus. Ex <sup>z)</sup> prima temporis nota, Assyriorum regnum plerique plus, mille tercentis et sexaginta annis floruisse putant, cui, quo minus assentiamur plura obstant, quorum illud *primum grauissimum existimauerim*, quod locus alius <sup>a)</sup> imperio Assyriorum plures tantum mille tercentis annis tribuit. Deinde quia in verbis *ετι δ' ἐξηκοντα* Wesselingio auctore, glossema manifestum latet, cum addita verba *ετι δ' ἐξηκοντα* omni loquendi vsui aduersentur, atque Eusebius Assyrios per mille ducentos et octoginta tantum annos principatum tenuisse narrat, quem eodem Ctesia vsum esse constat. Denique Agathias, <sup>b)</sup> qui in tempore a Nino vsque ad Sardanapalum definiendo Ctesiam secutus est, probare potest, vocabulum *ἑξ* e voce *ἐξηκοντα* exortum, glossema fuisse antiquissimum, vt exinde apparet, quod libri scripti lectionem *ἐξηκοντα* mordicus teneant. Quare Agathias non tam Ctesiae sententiam, quam glossam immutasse censendus erit, si vel lectionem *ἑξ* e vocula *ἐξηκοντα* factam esse concedamus. Ob incertum enim et indefinitum verborum

<sup>g)</sup> vid. Syncelli Chronogr. p. 90. et Eusebii Chronicon. p. 14.

<sup>z)</sup> Diod. II, 21.      <sup>a)</sup> Diod. II, 25.

<sup>b)</sup> Agathiae hist. L. II. p. 63. „ἑξ δὲ καὶ τριακοσίων ἤδη πρὸς τοὺς χιλίους καὶ ὀλίγα πλείονων ἐτῶν παραχρησῶν.“

## D

borum *πλειονων* sensum varie pro suo quisque systemate chronologico ea interpretatus est, neque difficile intellectu, cur plurimi glossēma *ἐξηκοντα* secuti sint, quum singulorum imperia in regum serie longius tempus flagicerent. Miror igitur, quomodo alius vir doctus c) Diodori lectionem cap. 21<sup>mi</sup> *ετι δ' ἐξηκοντα* amplecti potuerit, veluti omni dubitatione superiorem, neque ullam difficultatem suspicatus sit, nisi eam reticuit, utpote ipsius chronologiae contrariam. Quia Diodorus numerum annorum non satis definitum constituit, verbis *ετι πλειονων* additis, vocis hujus interpretatio varia quidem esse potest, sed nescio an vlla probabilior ea, quae aetatem generationis addit, nimirum, ut Assyriorum regnum ex Diodori sententia mille tercentos et triginta duo annos floruisse censeamus, quod Jul. Africani auctoritate plane confirmatur, qui Assyriorum regno mille quadringentos et triginta annos ex his rationibus tribuit. Ctesias Beli regnum ex Jul. Africano d) sexaginta duorum annorum in chronologia definienda omittit, atque reliqui omnes Sardanapalum quindecim annos regnasse ajunt, cui Jul. Africanus triginta, uti Nino II<sup>do</sup> Sardanapali successori, regno Assyriaco jam dudum everso, vnde viginti annorum imperium concedit, quod in chronologia regni Assyriaci nullum locum obtinere potest. Si enim vel Ninus quidam in vlllo imperii angulo latuerit, hujus regis anni ad Assyriaci regni tempora nunquam referri poterunt, cum ab Arbacis imperio Medorum regni chronologiam exordiamur, ne idem tempus bis numeremus. Quos nonaginta sex annos a Jul. Africano additos, si de ipsius chronologia

c) Neue Geschichte der Menschen Th. I. übersetzt von Hismann.

d) Scaliger, thes. temp. Excerpta chronologg. p. 74.



logia detraxeris, mille tercenti et triginta duo anni regno Assyriorum supersunt. Quando Jul. Africanus Medorum regno ducentos et sexaginta nouem annos tribuit, duo anni, nimirum expugnatae Babylonis et mortis Astyagis subtrahi debent, quos ducentos et sexaginta septem annos, si cum regni Assyriaci temporibus computaueris, mille quingenti et nonaginta nouem anni regni Medo-Assyriaci prodibunt, consentiente Vellejo Paterculo, qui ex Aemilio Sura *e*) inde a Nino regni auctore, vsque ad Romani principatus initia, mille nongentos et nonaginta quinque annos numerat. Carthagine *f*) autem anno centesimo quadragesimo sexto a. C. euerfa, et Philippo *g*) quatuor annis post, centesimo quadragesimo a. C. a Quaestore Tremellio deuicto, Romanorum imperium coepit. Quod si igitur trecentos et nonaginta sex annos, a regno Medorum euerfo, (538 a. C.) vsque ad initia principatus Romani (142 a. C.) praeteritos, numero mille nongentorum et nonaginta quinque annorum subtraxeris, Aemilius Sura regno Medo-Assyriaco mille quingentos et nonaginta nouem annos cum Jul. Africano concedet. Silentio quidem premere nequeo, locum Velleji Paterculi quadam difficultate laborare, e lectionis varietate exorta, dum alii libri lectionem 1905 numero 1995 substituunt. Rhenani vero recensio, ex optimo codice facta, numerum 1995 tuetur. Deinde incertitudinis notam ei iniustam esse non diffitebor, quum initia principatus Romanorum anno certo secure annecti nequeant, quamquam ratio proposita a vero proxime abesse videatur.

D 2

Eadem

*e*) Vell. Paterc. Hist. L. I. c. 6..

*f*) Eutrop. IV, 5. coll. Just. XVIII. 6. ]

*g*) Eutrop. IV, 6.

Eadem dubia circa verba *Simplicii* in *Commentariis*, in librum *Aristotelis*, de coelo, a *Veteribus* jam mouentur, vbi *Callisthenes* obseruata *Chaldaeorum* astronomica ad *Aristotelem* misisse dicitur. At silentium ea de re in reliquis *Aristotelis* scriptis veritatem hujus narrationis in dubitationem vocare nequit, modo ne hic quoque locus varietate lectionis incertus redderetur, siquidem alii codices 1903, alii 1309 legunt <sup>h)</sup>).

Rationes chronologicae supra propositae aera *Callisthenis*, siue obseruatis *Babyloniorum* astronomicis per mille et nongentos tres annos factis, ab *Alexandro* inspectis, praeclare confirmantur. Cum annus, quo *Alexander* monumenta *Chaldaeorum* astronomica vidit, tempori post *Darium* victum <sup>i)</sup> et regnum *Perfarum* euersum assignandus, et *Callisthenes* ante expeditionem ab *Alexandro* in *Indiam* factam caesus sit, annus miliesimus nongentesimus tertius obseruatorum, quintus regis *Alexandri*, trecentiesimus trigiesimus primus a. C. definiendus erit. Si enim inde a *Babylonia*, *Cyro* expugnata, (538 a. C.) vsque ad regnum *Perfarum* ab *Alexandro* occupatum ducentos et septem annos numeraueris, a regum annis a *Ctesia* et *Herodoto* definitis parum discedes. Quibus concessis obseruata *Chaldaeorum* nonaginta septem annos vltra *Nini* regnum adscendant, regique *Belo Ninum* praegresso tot annos tribuunt. <sup>k)</sup> Vtroque igitur modo non solum

Dio-

<sup>h)</sup> Locus *Simplicii* in *Commentariis* in *Arist.* de coelo L. II. p. 125. l. 18. ex ed. Aldina. 1526. ita se habet υπο καλλιθένης εκ βαβυλωνος πεμφθεισας παρατηρησεις αφικεσθαι εις την ελλαδα, τα αριστοτελης εκ επισκηψαντος αυτου, ατινας διηγείται ο παρφυριος χιλων ετων ειναι, και εννεακοσιων τριων μεχρι τον χρονον τα Αλεξανδρα τα μακεδονος σωζομενας, μηδε δυναμενων δεξαι δε υποθεσεων τα πιστευομενα

<sup>i)</sup> *Diod.* XVII, 61. *Justin.* XII, 7. cf. XI, 14.

<sup>k)</sup> *Augustin* de ciuit Dei XVI, 17. Belo 68 annos tribuit.

Diodori consensus cum Julio Africano, sed etiam aera Callisthenis chronologia iuuabitur, et facta admodum incertae aetatis, ad probabilem temporis ordinem redigi poterunt, quamuis haec adminicula non demonstrare valeant rerum seriem vero temporum ordini vbique esse restitutam, vero simile tamen argumentum his temporibus ad veritatis auctoritatem proxime accedere, inque eo acquiescendum esse, quisque aequus rei arbiter concedet.

Ninus <sup>l)</sup> secundum Graecos Asiam fere totam intra Nilum et Tanaim India et Bactriana excepta occupauit, Aegyptum, Phoeniciam, Asiam minorem, Cadusiorum, Tapyrum, Hyrcaniorum, Drangensium, Derbicum, Carmaniorum, Armeniorum, Borcaniorum, Parthorum terras, Susiam, et Caspianen bello deuictas atque sibi vectigales reddidisse, Oxyartemque regem Bactrianorum decies centenis et septingentis millibus peditum, decem millibus et sexcentis curribus falcatis, ducentis atque decem millibus equitum adortus esse traditur, quibus Oxyartes ex sola vrbe Bactrianorum regia, quadringenta millia iuuenum opposuit. Diodorus hunc incredibilem hominum numerum ideo verum neque fictum esse putat, quod Asia fere omnis tam eximiam hominum copiam facile producere possit; at hic locus plus vna difficultate laborat, quomodo enim tantum agmen in via ali et sustentari possit, secum non reputauit. Darii, Scythas octingentis millibus hominum impugnantis, et Xerxis, <sup>m)</sup> Graeciam vastantis, innumerabilis exercitus eidem suspitioni subesse videtur, et quod miror, ab Orientalibus ne verbo quidem ingentes hi exercitus indicantur, quanquam casus saepius perpeffos

D 3

alias

l) Diod. II, 3 et 5.

m) Her. VII, 60. 83. 87. 89.

alias non diffiteantur, Graecorum autem gloria mirum in modum, tanto exercitu ab ipsis deuicto, augeatur necesse est. Persis quidem in fugam datis, Bactris vero expugnatis, Ninus <sup>n)</sup> Semiramidem vxorem ducit, quae Nino mortuo thronum occupat. Semiramis, Babylone magnificis et splendidis monumentis ornanda, moenibus altissimis et amplissimis extruendis, montibus effodiendis et efformandis, ponte in Euphrate facto, peristylio immensi operis ab Euphratis aquis tecto, arcem regiam ad vtrumque littus sitam coniungendo, noua miracula hominum ore celebranda, quoquo venerit, patrasse traditur, siue victrix per Mediam, Persiam, Aegyptum, Aethiopiam et Libyam expeditionem fecerit, siue ex India, ab Indorum rege Stabrobate superata redierit. Quae *Suidas* <sup>o)</sup> refert, qui apparatus bellicum Semiramidis in expeditione contra Indos facta hunc fuisse ait, nimirum tricenas centena millia pedum, decenas centena millia equitum, centena millia currum falcatorum; centena millia camelorum, sub forma elephantorum, duo millia camelorum ad onera portanda adhibendorum, nec non tria millia nauium, iisdem de causis non majori fide digna censemus, quam fabulas de Nini expeditione. Tali re vix adhuc illud, de historicis non esse philosophandum, locum habere poterit, et argumenta a priori petita, talibus narrationibus opponi debent.

Ninyas, Semiramidis filius, ejusque prognati ad Sardanapalum vsque, molles deliciisque dediti deseribuntur, neque quicquam memoria dignum de iis traditur.

Jam

<sup>n)</sup> Diod. II, 1 -- 12.

<sup>o)</sup> Suidas sub voce *Σεμιραμης*. Diod. II, 17. paulo aliter copias exercitus contra Indos missi refert.

Jam quia Eusebius p) annum, quo Cyrus regno positus est, omnibus consentientibus, Olympiados quinquagesimae quintae primum (560<sup>mum</sup> a. C.) constituit, atque ex canone astronomico regum Babyloniae, anno quingentesimo trigesimo Cyrum mortuum esse apparet, non temere expugnatio Babylonis quingentesimo et trigesimo octavo a. C. vindicari poterit. Additis huic numero ducentis et sexaginta septem annis primus regni Medorum annus prodibit, octingentesimus quintus a. C., cui si adjeris mille trecentos et triginta duo annos regni Assyriaci annus bis millesimus centesimus et trigessimus septimus a. C., primus Nini annus erit. Callisthenis aera autem mille nongentorum et trium annorum, recensens a quinto Alexandri anno, (331 a. C.) ad Babylonem captam (538 a. C.) ducentos et septem annos, a Babylone occupata, ad Medici regni initia (305 a. C.) ducentos et sexaginta septem, a regni Medici initiis ad Ninum vsque (2137 a. C.) mille trecentos et triginta duo, relinquit nonaginta septem annos Beli regno. Anno primo aerae Callisthenis (2234 a. C.) vsque ad nonagesimum septimum (2137 a. C.) regum Beli nomine insignium vitae comprehenduntur.

|              |    |               |                    |                    |                       |
|--------------|----|---------------|--------------------|--------------------|-----------------------|
| Ninus regnat | 52 | annos ab anno | 2157 <sup>mo</sup> | ad                 | 2085 <sup>um</sup>    |
| Senniramis — | 42 | —             | —                  | 2085 <sup>to</sup> | — 2043 <sup>um</sup>  |
| Ninyas —     | 38 | —             | —                  | 2043 <sup>o</sup>  | — 2005 <sup>um</sup>  |
| Ariocus —    | 30 | —             | —                  | 2005 <sup>to</sup> | — 1975 <sup>um</sup>  |
| Aralus —     | 40 | —             | —                  | 1975 <sup>to</sup> | — 1935 <sup>um</sup>  |
| Balajus —    | 30 | —             | —                  | 1935 <sup>to</sup> | — 1905 <sup>um</sup>  |
| Mamythrus —  | 37 | —             | —                  | 1905 <sup>to</sup> | — 1868 <sup>vum</sup> |

*Dschamschidi* dynastia igitur reges Assyriorum a Belo ad *Mamythrum* complectitur, qui per trecentos et sexaginta quatuor annos regnarunt.

Nifi

p) Euseb. Praep. Euang. L. X, c. 10. Fragm. Diodori ed. Wesseling. p. 640.

Nisi *Ctesias* <sup>q)</sup> Herodotum, quingentos et viginti annos Assyriorum imperio tribuentem impugnasset, vel tum Herodotus de toto Assyriorum regno vix intelligi posset, quippe qui cum vniuersa antiquitate pugnat. Itaque, si de sensu, quo hos ei terminos constituit, circumspiciamus, an epochas maxime florentes in Assyriorum regno definiendo secutus sit, vix decerni poterit, ideoque tam obscura temporis nota omnino negligenda videtur. In regum autem catalogis a Chronicorum scriptoribus, Eusebio, Syncello, aliisque confarcinatis, ob tenebras vix vnquam pénétrandas non morabimur, quotquot enim catalogum regum Assyriorum confecerunt, in ipsorum numero dissentiant. Cephalion <sup>r)</sup> e Ctesia viginti tres, Diodorus <sup>s)</sup> ex eodem triginta, Vellejus Patereculus <sup>t)</sup> triginta duo, et Julius Africanus <sup>u)</sup> triginta nouem reges Assyriorum refert.

Cur scriptores sacri de Assyriorum regno, tum in summo flore vigente penitus taceant, variae quidem causae cogitari possunt, haec tamen non vltimo loco ponenda est, quod Ebraei exterarum gentium historiam omnino non attingant, nisi talis inter exterorum et ipsorum res intercedat necessitudo, vt sua potius quam aliorum fata enarrare videantur. Quare non mirabimur, res aliorum nullo cum ipsis vinculo conjunctas, vel potentissimorum regnorum historiam, ab Ebraeis prorsus omitti. Quis autem est, quem non offendat illud in Graecorum historiis, quod priores regni auctores Belus, Ninus, ac Semiramidem ingenio et virtute insignes, magna quacuis molientes depingant, caeteri vero omnes obscuritate obtecti jaceant, quod histo-

q) Diod. II, 32.

r) Syncell. p. 167.

s) Diod. II, 25.

t) Vell. Pat. I, 6.

u) Scal. Thes. temp. Excerpta Chronologica p. 74.

historiae vniuersarum gentium non minus repugnat, quam si regno per multorum seculorum decursum eandem potentiam et gloriam tribueres. Quare conjecturam non omni probabilitatis specie destitutam amplexus esse mihi videor, si priores Assyriae reges non ad summae potentiae fastigium euectos, angustioribus terrae finibus inclusos, minus potentes cogitaueris. Rerum enim naturae, et historiae ciuitatum conuenientius statues, si regnum Assyriorum sensim sensimque auctum, orbi terrarum serius demum dominari existimaueris, cum vix appareat, quomodo tanta prouinciarum moles vno sceptro contineri potuerit, si regum, libidinum sopore sepultorum, manus illud tenuisset, quales Graeci v) Ninyam ejusque successores fingunt. Vix, ac ne vix quidem per tot secula inertes atque stolidi reges throno insidere potuerunt, imo simul ac Sardanapali II<sup>di</sup> libidines innotescunt, mores corrupti ac deprauati in Arbacis animo spem excitant, fore, vt regno principem ingenio et virtute destitutum exuere possit. Qua hypothese probata Ebraeorum quoque silentium explicatum erit; si enim initia regni Assyriorum modicae amplitudinis fuerunt, neque Palaestina ac Syria a primis inde temporibus ab Assyriis turbata atque infestata est, non erat, cur Ebraei de rebus exterae gentis exponerent, quamuis Aegyptiorum historia a Scriptoribus sacris vberius explanetur, quia scilicet Israelitarum et Aegyptiorum fata arctiori necessitudine nexa erant. Supra jam tetigi locum I. Sam. XV, 7. quem quippe de recentioribus temporibus exponentem, deque Amalecitis in Arabia errantibus agentem, nos non morari posse, demonstrare studui. Syriae Sobensis reges, Dauidis tempore potentissimi, jam diu antea nullo tributario

v) Diod. II, 21.

tario nexu cum Assyriis conjuncti fuisse, neque ipsis paruisse videntur, si vel Assyriorum regem summi Imperatoris honoribus prosecuti sint, cum ex historia bellorum a Davide contra Sobenes gestorum appareat, *w)* Assyrios Euphratenses auxilium iis tulisse. Davidis igitur demum aetate Assyriorum mentio agitur, cum de hac, ut de sequenti dynastia, altum apud Scriptores sacros silentium obtineat.

Moses Chorenensis *x)* inter Nebrothum, quem pro Belo habet, et Ninum quinque reges recenset, quos ad Beli tempora referendos esse putem, ob nomen Beli appellativum pluribus commune, nisi forte in eo fallatur, quod Belum cum Nebrotho comparet. Si vero Beli nomen de regibus ante Ninum explicare velis, non solum nominum similitudine, sed etiam chronologiae consensu adjuvaris. Quia Belum inter et Ninum, reges quidam reperiuntur, Ninum Beli filium esse negat, at si Beli nomen pluribus commune fuerit, Ninus jure meritoque quartus a Belo dicitur, de quo tamen, ut de reliquis nil quicquam fere tradit, nisi quod Belus ab Haico interfectus sit. Ninus in gratiam suam reduxit Aramum, Armeniorum regem, et Semiramis, ex nostro scriptore, expeditione in Armeniam facta, Araeo, quem perditae amabat, occiso, Armeniam in provinciae formam redegit, ibi urbem condidit, atque ingentem aggerem flumini opposuit. Quando Semiramis a filio interfecta traditur, qui impudicos mores ipsius improbavit, e Graecis, *y)* qui Semiramidem primam et secundam, nobilem et ignobilem non distinguunt, sicut in regum catalogo contexendo, haussisse videtur.

Dscham-

*w)* 2 Sam. X. 6. Psalm LXXXIII, 9.

*x)* Cap. III—XIV.

*y)* Syncell, p. 64. Excerptt. Chronoll. p. 73.



Dschamschidica dynastia de throno deturbata, Dhohacus <sup>z)</sup> rerum potitus est, de quo Orientales dubitant, vtrum e Dschamschidi gente oriundus sit, an ad Arabum reges genus referat, aut pro filio Noachi habendus sit. Rex illegitimus et crudelissimus, vlceribus vexatus, serpentibus exesus, e mali genii osculis enatis, duo homines quotidie mactandos curauit, quorum cerebro in vlceribus sanandis vsus est. Cum capitis damnatorum copia huic vsui non sufficeret, infantes interfecit, in quibus liberi fabri ferrarii *Gai* quoque erant, quorum pater furore agitato, per vicos decursitans, auxilium a ciuibus contra Dhohacum flagitat, et magna fociorum vi adjutus, carcerum foribus discissis, liberos morti jam destinatos in libertatem vindicat. *Feridunes* filius Alciani, e gente Dschamschidi prognatus, cum a *Gao* agmini praefectus esset, Dhohaco clade prostrato, et in antris Damauendeis constricto, Persarum rex a *Gao* proclamatus est. *Belochus*, <sup>a)</sup> qui Mamythrum regno exiit, cum Dhohaco optime comparari potest, quia vterque ex eadem familia oriundus, imperium non ad aliam gentem defert, et inter vtrumque quaedam nominis similitudo intercedit. Verba *Deh-Ak* enim in lingua Persica (decem malis affectus) cum vocabulis *Bel-Ock* (malorum dominus) comparari quidem possunt, sed huic etymologico adminiculo non multum tribuam. Majoris autem momenti in hypothese confirmanda illud esse videtur, quod vltimus hujus dynastiae rex a *Belatara* <sup>b)</sup> de throno dejectus, eodem *Belochi* nomine veniat, in quo dynastiae nomen haud obscure mihi reperire videor. Dhohaci-

E 2

<sup>z)</sup> Herbel. Th. II. p. 244. Ferdosi Shah Nameh Book IV.

<sup>a)</sup> Agathiae hist. I. II. p. 63.

<sup>b)</sup> Bion et Alexander Polyhistor, in Agath. hist. I. II. p. 53.

hacidæ ob crudelitatem a fabro ferrario Gao imperio priuantur, Belochus quoque ob incestum in Atossa, Semiramide secunda patratum, et propter alia turpissima flagitia ab homine ex plebe, cui hortorum curæ demandatæ erant, interficitur. In his saltem consentiunt, tum quod homo humili loco natus, e Graecis et Orientalibus illius dynastiae reges imperio priuasse dicatur, tum in narrationis indole. Quam parum enim de Dhohaco ab Orientalibus narratur, tam tenues Graecorum quoque narrationes de Belocho deprehenduntur, quod et ipsum similitudinem fontis quandam innuere videtur. Dhohacidarum dynastia reges igitur comprehendit, qui a Belocho vsque ad Belataram ab anno millesimo octingentesimo et sexagesimo octauo, vsque ad millesimum quadringentesimum et quinquagesimum tertium, a. C. Assyriæ per quadringentos et quindecim annos imperarunt.

|             | regnat | annos | ab | anno | 1868 <sup>vo</sup> | ad | 1835 <sup>um</sup>  | a. C. |
|-------------|--------|-------|----|------|--------------------|----|---------------------|-------|
| Belochus    | —      | 55    | —  | —    | 1835 <sup>o</sup>  | —  | 1781 <sup>mum</sup> | —     |
| Balacus     | —      | 52    | —  | —    | 1781 <sup>mo</sup> | —  | 1746 <sup>tum</sup> | —     |
| Altallus    | —      | 55    | —  | —    | 1746 <sup>to</sup> | —  | 1716 <sup>tum</sup> | —     |
| Mamythus    | —      | 50    | —  | —    | 1716 <sup>to</sup> | —  | 1686 <sup>tum</sup> | —     |
| Manchalajus | —      | 50    | —  | —    | 1686 <sup>to</sup> | —  | 1666 <sup>tum</sup> | —     |
| Itaspherus  | —      | 20    | —  | —    | 1666 <sup>to</sup> | —  | 1631 <sup>mum</sup> | —     |
| Mamythus    | —      | 55    | —  | —    | 1631 <sup>mo</sup> | —  | 1591 <sup>mum</sup> | —     |
| Sparajus    | —      | 40    | —  | —    | 1591 <sup>mo</sup> | —  | 1551 <sup>mum</sup> | —     |
| Alcatagus   | —      | 40    | —  | —    | 1551 <sup>mo</sup> | —  | 1501 <sup>mum</sup> | —     |
| Amyntes     | —      | 50    | —  | —    | 1501 <sup>mo</sup> | —  | 1478 <sup>vum</sup> | —     |
| Atossa      | —      | 23    | —  | —    | 1478 <sup>vo</sup> | —  | 1455 <sup>um</sup>  | —     |
| Belochus    | —      | 25    | —  | —    |                    |    |                     |       |

Moses Chorenensis <sup>c)</sup> fere eadem regum nomina refert, sed Atossæ et Belochi regna omittit, quod in tanta nominum diuersitate non mirabimur, cum et Graeci in his tantopere fluctuent, ex quibus Moses Chorenensis sua hausit.

c) Cap. XVI—XIX.

Dho-

Dhohacidarum dynastia, regno remota, *Feridunes*, d) e Dschamschidi gente oriundus, Gao auctore, thronum occupavit, et e filia Dhohacidae in matrimonium ducta, *Turem* et *Salmum* progenuit, filios, qua mores corruptos et malefacta, Dhohaci simillimos. Qua de causa aliam foeminam, *Iran Dohkt* dictam, uxorem duxit, et cum filius ex ea susceptus adultus esset, Feriduni in mentem venit, regni provincias filiis ita distribuere, ut Salmo occidentales terras vel in Africam porrectas, Turi orientales regiones usque ad Oxum extensas, Tartarorum, Cathajorum, et Sinenfium terras concederet, Iradscho autem, praeter Persiam, Mediam atque opes a patre collectas, principatum regium largiretur. Cum *Feridunes* religionis ostentandae causa in solitudinem secessisset, Tures et Salmus invidia agitati, Iradscho bellum intulerunt, eumque denictum trucidarunt, cuius caedem vero Manotscherus ex Iradschi filia natus, Ture et Salmo prosternendo ultus est. Qua victoria reportata, Feridunes post quingentorum annorum regnum, Manotschero imperium tradidit, quo tempore Persia Iraniae, et terra trans Gihonem sita, Turaniae nomine, ab Iradscho et Ture repetito, primum venerunt

Cum Feridunis dynastia non solum ob nominis similitudinem, Belataram e) comparare licebit, sed ideo inprimis, quia vterque in eadem regum serie antecessorem regno spoliavit. Feridunis igitur dynastia, hos reges Belataram secutos, qui per sexcentos quadraginta et octo annos, ab anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio, ad octingentesimum quintum a. C. imperarunt, complectitur.

E 3

Belataras

d) Herbel. Th. II. p. 409, Ferdosi Shah Nameh Book V.

e) Agath. hist. I. II. p. 63.

|                    | Regnat | Annos | ab | anno | 1455 <sup>to</sup> | ad | 1419 <sup>num</sup> | a. C. |
|--------------------|--------|-------|----|------|--------------------|----|---------------------|-------|
| Belataras          | regnat | 34    | —  | —    | 1455 <sup>to</sup> | ad | 1419 <sup>num</sup> | a. C. |
| Lamprides          | —      | 32    | —  | —    | 1419 <sup>no</sup> | —  | 1387 <sup>num</sup> | —     |
| Sofares            | —      | 20    | —  | —    | 1387 <sup>mo</sup> | —  | 1367 <sup>num</sup> | —     |
| Lamparus           | —      | 30    | —  | —    | 1367 <sup>mo</sup> | —  | 1337 <sup>num</sup> | —     |
| Pannius            | —      | 45    | —  | —    | 1337 <sup>mo</sup> | —  | 1292 <sup>dum</sup> | —     |
| Sofarmus           | —      | 20    | —  | —    | 1292 <sup>do</sup> | —  | 1272 <sup>dum</sup> | —     |
| Mithrajus          | —      | 35    | —  | —    | 1272 <sup>do</sup> | —  | 1237 <sup>num</sup> | —     |
| Tautames           | —      | 32    | —  | —    | 1237 <sup>mo</sup> | —  | 1205 <sup>tum</sup> | —     |
| Euchajus           | —      | 11    | —  | —    | 1205 <sup>to</sup> | —  | 1194 <sup>tum</sup> | —     |
| 4 Reges qui defunt | —      | 84    | —  | —    | 1194 <sup>to</sup> | —  | 1110 <sup>num</sup> | —     |
| Thinajus           | —      | 29    | —  | —    | 1170 <sup>mo</sup> | —  | 1081 <sup>num</sup> | —     |
| Dercyllus          | —      | 40    | —  | —    | 1081 <sup>mo</sup> | —  | 1041 <sup>num</sup> | —     |
| Eupalus            | —      | 36    | —  | —    | 1041 <sup>mo</sup> | —  | 1005 <sup>tum</sup> | —     |
| Laofthenes         | —      | 45    | —  | —    | 1005 <sup>to</sup> | —  | 960 <sup>num</sup>  | —     |
| Peritiades         | —      | 30    | —  | —    | 960 <sup>mo</sup>  | —  | 930 <sup>num</sup>  | —     |
| Ophratajus         | —      | 20    | —  | —    | 930 <sup>io</sup>  | —  | 910 <sup>num</sup>  | —     |
| Acrazapes          | —      | 90    | —  | —    | 910 <sup>mo</sup>  | —  | 820 <sup>num</sup>  | —     |
| Tonos Concoloros   | —      | 15    | —  | —    | 820 <sup>mo</sup>  | —  | 805 <sup>tum</sup>  | —     |

Moses Chorenensis in eo cum Graecis consentit, quod Teutamus Trojanis auxilium tulerit. De reliquis omnia nos fere latent, vita Toni Concoleri siue Sardanapali excepta. Graeci *f*) duo Sardanapalos patrem et filium distinguunt, quorum priori optimos mores atque magnam virtutem tribuunt, idque eo verosimilius videtur, quo magis haec opinio significatu nominis Sardanapali i. e. gloriosi, seu Diis amati, adjuuatur. Posterior autem Sardanapalus mollitiei et luxuriae deditissimus, foemineos mores tam cupide affectavit, ut in gynaeceo cum mulieribus viveret, cujus culpa regnum Assyriorum tandem irruptioni Arbacis, Medorum ducis succubuit. Quae scriptores sacri *g*) de Assyriis Sobensibus, et Damascenis, Davidis aetate narrant, tempori posteriorum Assyriae regum conveniunt, neque Chronologiae Ebraeorum aduersantur, siquidem interitus, et ruina regni Assyriaci Davidico tempore, nihil contra florem ipsius antiquiori aetate probare potest.

*De*

*f*) Hesych. Lex. sub voce Τονος κονκολερος et Scholiast. in Aristophanis aves v. 1022.

*g*) 2 Sam. VIII. et X. Psalm LXXXIII, 9.

*De regno Medorum.*

Medos imperio Assyriorum, post quingentos et viginti annos se subtraxisse, per vicos sparsos, nullo iudici, vel regi subjectos vixisse, deque rerum communium statu consultantibus, Dejocem iustitia et sapientia meritissimum, sibi regem praefecisse, Herodotus <sup>h)</sup> narrat, qui Ecbatana cellissimis moenibus cincta condidit, seque nemini, nisi amicis et ministris palam ostendit. Quo mortuo, post quinquaginta trium annorum regnum, Phraortes filius Dejocis imperavit, qui Persis devictis, Asia devastata, Ninum Assyriae urbem expugnaturus, ab Assyriis regno et vita priuatur. Phraortem, per viginti duo annos Medorum regem, Cyaxares eodem teste secutus est, praeceptorum et institutorum militarium auctor, qui patrem viturus, ad Ninum expugnandam descendit. Irruptione a Scythis facta, omnique fere Asia ab ipsis subacta, redire cogitur, sed barbaris ad Aegyptum versis, a coelesti venere punitis, atque ex Asia ejectis, post Ninum occupatam Lydis bellum infert, ubi metus a sole tenebris obscurato, utrumque exercitum a proelio committendo arcet, et ad pacem in eundam compellit. Cyaxares annos quadraginta, imperio Scytharum comprehenso, regnavit, eumque in regum Medorum catalogo Astyages excepit, de quo tot fabulae narrantur, quibus omiſſis nunc cognovisse sufficiat, filiam Persae Cambyſi, ab Astyage in matrimonium esse datam, Cyrum ab his procreatum, Persis a Medorum imperio auocatis, Astyagem regno exuisse, atque Persis Asiae principatum vindicasse. At quot et quanta hic offenduntur, quae a temporum ratione et aliorum auctoritate longissime absunt?

Num

<sup>h)</sup> Herod. I. c. 95—107.

Num tibi persuadebis, gentem imperium potentissimum recusantem, per vicos dispersam, duce destitutam errare posse? Num Ecbatana tum demum aedificata esse memorent, quorum mentio jam a Diodoro in Semiramidis historia injicitur? Cur Herodotus neminem in regum et annorum serie secum consentientem habet? Quae difficultates vix tolli poterunt, nisi ab Herodoto Dejocis, Phraortis, et Cyaxaris nomina de dynastiis explicanda, male intellecta, eaque singulis regibus falso tributa esse concedes. Herodotus haud dubie a Persis male edoctus, reges et dynastias commutasse videtur, quod tanto facilius cuique probabitur, quanto major similitudo inter regum et dynastiarum nomina intercedit. Quis in Dhohaco non Dejoem, in Feridune non Phraordem agnoscat? Neque difficile intellectu, quomodo Cai Chofru in Cyaxaris nomen mutari potuerit? Cum igitur Herodotum, Medorum et Assyriorum res commixtas tradidisse, mihi persuasum habeam, neque in conciliando Herodoto cum Ctesia aliisque frustra operam collocare licebit, imo Ctesiam, Julium Africanum et Aemilium Suram in Medorum regno sequar, quos cum reliqua chronologia, aliisque scriptoribus optime conspirare demonstrandum summi. Conjectura enim Bougainvillii <sup>1)</sup> de Medis proposita, Medos nimirum a Ctesia commemoratos pro Elymaidis regibus esse habendos, Medos autem Herodoti de Medis, Arbace auctore ab Assyriorum imperio liberatis, usque ad Dejocis tempora in republica degentibus intelligendos esse, omni fundamento destituta videtur, siquidem omnis historia, nisi sacra, Elymaidis

1) Memoire dans lequel on essaie de concilier Herodote avec Ctesias au sujet de la Monarchie des Medes par Mr. de Bougainville. Hist. de l'acad. des Inscriptions. Tom. XXIII.

maidis reges ignorat, quae tum Medorum et Assyriorum regibus parebat, neque respublica istis temporibus satis conuenit, si vel tibi persuadeas, Diodorum <sup>k)</sup> de Ctesia cum Herodoto conciliando laborantem haec non vidisse? Quibus concessis, nonne de senioribus utriusque dynastiae regibus eadem narrantur? Nonne utrique Asiae principatum tenuerunt? Quomodo Medi, respublica modo constituta, ad regiam dignitatem statim transire, et breui tempore Asiae dominari potuerunt? Quare conjecturam, his difficultatibus impeditam, non amplectendam existimaui. Ctesias qui trecentos et septendecim annos Medorum imperium floruisse tradit, partim secum ipse conciliari nequit, partim contra omnem probabilitatem, tam paucis regibus tot annos distribuit. Eusebius, Syncellus, alique Herodotum et Ctesiam conjungentes, Dejocem et Phraortem, cum Dhohaci et Feridunis dynastiis comparandos, pro Artyne et Antibarna minus feliciter substituisse videntur. Melius Cyaxares cum Antibarna conferri poterit, quia Cyaxari apud Persas Cai Chofrauii nomen respondet, quod, *Regem* significans, dynastiae facile nomen dare potuit. In ultimo Medorum rege Astyage omnes fere consentiunt, cum Aspandas ex ipsius Diodori testimonio idem sit, ac Astyages. Vix opus erit commemoratu, Medorum regnum a Graecis Assyriaco regno comprehendere, ab aliis vero, ut a Mose Chorenensi <sup>l)</sup> Assyriorum regnum, Medorum nomine indicari.

A noua regum familia Persiae regnum, post Feridunem occupatum, et ad aliam gentem translatum fuisse ex eo cognosces, quod Feridunes vxore sua deferta, ex alia e  
Per-

k) Diod. II, 34.

l) Mos. Chor. Cap. XVI.

Perfarum populo ducta filium, Iradschum, nouae dynastiae caput suscepit, et Ture, ac Salmo, parricidis a Manotschero <sup>m)</sup> Iradschi filio occisis, regnum ad aliam gentem transit. Iradschus vero, si quid nominis similitudini tribuendum, cum Arbace comparari posse videtur, quanquam scriptores Orientales nihil de modo tradant, quo Perfarum imperium ad aliam gentem peruenerit, sed alius regiae stirpis tantum mentionem faciant. Medorum imperium cum *Manotschero* comparandum esse videtur, non solum ea de causa, quia inde ab Iradscho alii reges commemorantur, omissa Feridunis dynastia, quod certe alius gentis imperium innuit, sed etiam ideo, quod inde a Manotschero, Turanos antea prorsus incognitos in Perfarum regnum irruisse, cum Graecis, inuasionem a Scythis in Asiam factam, Medorum imperio tribuentibus, conuenienter tradant. Denique, quia probata Graecorum chronologia, et Medorum regni initiis anno octingentesimo quinto constitutis, ex certis argumentis hos Perfarum reges ad Medorum tempora referendos esse, mox clarius, nimirum e Noderi, Manotscheri successoris aetate, solis eclipsi definita, intelligetur.

Manotschero, Iradschi filio, regni commodis ita prospicienti, ut in quavis prouincia, et vrbe praefectos constitueret, atque e Tigride et Euphrate ad terram irrigandam fossas duceret, ab Afrasiabo, Turaniae rege, Turis, patris mortem ulturo, bellum infertur, sed foedere icto, terris trans Gihonem sitis Afrasiabo concedendis, regione autem cis Gihonem Manotschero relicta, pax restituitur. Rebus ita compositis, artibus excolendis, architectoriis monumentis exstruendis, vitam et regnum centum et

vi-

<sup>m)</sup> Herb. Th. II. p. 297. Ferdosi Shah Nameh Book VI. et VII.



viginti annorum impendisse traditur. Quam parum accurate Orientales Ebraeorum historiam tenuerint, vel inde apparet, quod Schoaibum, Iethronem, Mosis socerum, Manotscheri acuum attigisse putant.

Manotschero, ab anno octingentesimo quinto a. C. ad septingentesimum octogesimum quintum regnanti, *Noderus*, <sup>n)</sup> successit, cujus imperium, procerum seditionibus turbatum, ab Afrasiabo, rege Turaniorum euersum, per septem tantum annos, ab anno septingentesimo octogesimo quinto, ad annum septingentesimum septuagesimum octauum, a. C. floruit. Nodero praelio acerrimo deuicto, quod solis eclipsi anno septingentesimo septuagesimo octauo adstringitur, Afrasiabus per duodecim annos totius Asiae imperio potitur. <sup>o)</sup>

F 2

Qui-

<sup>n)</sup> Herbel. Th. III. p. 621. Ferdosi Shah Nameh Book VII. p. 380.

<sup>o)</sup> Quando Ferduses ait, subitam et insolitam noctem pugnantes ab acerrima lucta prohibuisse, Noderum de incantationibus questum esse, quae ipsum lumine priuassent, et puluerem ab equis et militibus excitatum, solis splendorem obscurasse, ac lunae lucem imminuisse, quamuis sol non totus tenebris obductus fuerit, haud dubie defectum solis innuere voluit, qui proelium Turaniorum et Iraniorum suspensum tenuerit. Solis eclipsi huc vero ea trahi debet, quae ex rationibus astronomicis anno septingentesimo septuagesimo octauo, die quarto, mensis Aprilis, in prouincia Dehestanensi, tum belli arena, visa, et Romae tempore conceptus Romuli obseruata est. Anquetilius impropriam Ferdusis dictionem ex eodem loquendi usu in historiis Herodoti obuio <sup>\*)</sup> illustrauit, ubi, etsi nulla solis fiat mentio, omnibus interpretibus consentientibus defectus solis intelligi debet. Plura imprimis loca Ferdusis persica <sup>\*\*)</sup> dabit Anquetil *Memoire dans lequel on essaie, de concilier les auteurs Grecs principalement Herodote et Ctesias sur le commencement, et la duree de l'empire Assyrien, et ces écrivains avec les Perses sur les regnes, qui forment, ce que les Orientaux appellent la dynastie des Peschdadiens. Hist. de l'acad. des Inserr. Tom. XL. p. 356—477. et Supplement au Memoire sur les dynasties des Peschdadiens et Kéaniens. Hist. de litterat. Tom. XLII. p. 354—349.* De hac eclipsi solis videatur quoque Desvignoles *Chronologie de l'hist. sainte T. II. 260. 261, et p. 853—856.* Petav. *doctr. temp. P. I. p. 779.*

<sup>\*)</sup> Herod. I, 74. cf. 103. Herod. IX, 10. <sup>\*\*)</sup> Ferdosi Shah Nameh primo *Daster.*

Quibus Arbaces Medorum rex a Graecis <sup>p)</sup> opponitur, nouae dynastiae auctor, qui Sardanapalo de throno dejecto, Ninoque expugnata, Belesyn Babylonis Satrapam constituit, regnique sedem per viginti et octo annos ab anno octingentesimo quinto ad septuagesimum septimum a. C. Ecbatanis tenuit. Nisi chronologia hunc Arbacem illis Persiae regibus opponeret, argumenta deessent, quae, ut hos ad eadem tempora referres, suaderent, quia Graeci earum tantum rerum mentionem faciunt, quae in Occidentali Asiae parte contigerunt, neque vero enarrant, quae in septentrionali et orientali regni Persarum parte acta fuisse constat. Graecos enim inter et Persas, si quid commercii intercessit, nullum nisi per Asiam minorem, Syriam et Occidentales regni prouincias patuit, qua de causa de interioris Persiae statu, tam rara notitia ad Graecos peruenit. Num vero Graecorum silentium, ex ignorantia exortum, Orientalium narrationes de Turaniorum et Iraniorum bellis impugnare poterit? Nonne potius Graecorum libri ex his narrationibus supplendi et emendandi sint? Quare et nos Orientales harum traditionum auctores secuti sumus, quia Noderi regnum, solis defectu probabiliter definitum, in tempora proxima ante Cyrum incidit, quibus Medorum regnum floruisse conceditur.

Quanquam chronologiam ipsorum tum obscuram, tum mancam non amplexi simus, Persarum historiam ex Orientalium historiis eo maiori jure enarrabimus, quo tenuiores Graecorum libri hic deprehenduntur. Nodero igitur occiso, anno septingentesimo et septuagesimo octavo Afrasiabus, rex Turaniorum, Persiae regnum per duodecim annos occupauit, qui tamen a *Zalzero*, heroe istius aetaris

p) Diod. II, 24 — 28.

aetatis celeberrimo, e regno expulsus est. *Zabus*, <sup>q)</sup> *Tahamasp* filius, *Noderi* nepos ab eo rex eligitur, quem per quinque annos regnantem, intra quos pristinum splendorem regno restituere non poterat, filius ipse *Gerschaspius* <sup>r)</sup> excepit, qui nouem annis elapsis, ab *Afrasiabo* ex *Irania* ejectus, regno et vita priuatus, primam *Peschdiorum* dynastiam finiuit. Quatuor sequentibus annis, terris *Iraniorum* a *Turaniis* vastatis, tandem *Afrasiabo* *Persiae* regnum adimitur, idque anno septingentesimo quadragesimo octauo a. C. principi, e regia stirpe exorto, *Cai Cobadi*, nouae *Caianiorum* dynastiae auctori, vindicatur. Secundum *Graecos* anno septingentesimo et septuagesimo septimo a. C. *Arbacem*, *Mandaucem* in regno secutus triginta annos et unum, imperium, ab anno septingentesimo et septuagesimo septimo, ad septingentesimum quadragesimum sextum, tenuit.

Sequitur apud *Orientales* noua *Caianiorum* dynastia cuius auctor, *Caicobades*, <sup>s)</sup> regno, *Zalzeri* ac *Rostami* virtute, recuperato, non solum in milites magna liberalitate, decimis ad eos sustentandos exigendis, vltus est, sed etiam omnium commodis studiose consuluit. Quando *Caicobadem* in vrbe *Esfahanensi* centum annos *Samuelis* tempore regnasse tradunt, centum anni chronologiae repugnantes cum quinquaginta annis commutari possunt, quum *Caicobadis* nomen plura regna complectatur, quae ab anno septingentesimo quadragesimo octauo, ad sexcentimum et nonagesimum octauum floruerunt. Quam arcte hic omnia ex se nexa sint, quam apte *Caicobadis* vita cum *Gerschaspi* fati cohaereat, vel leuis obtutus quem-

F 3

que

q) Herbel. Th. IV. p. 615.

r) Herbel. Th. II. p. 527.

s) Herbel. Th. IV. p. 627. Ferdosi Shah Nameh Book VIII.

que docebit, neque igitur cum iis faciam, <sup>r)</sup> qui tres reges, *Cai Cobadem, Cai Caum, et Cai Chofrum* ex hac serie ejectos, ad longe antiquiora tempora remittant, etsi nihil occurrat, quod huic aetati minus aptum sit, neque regum series apud Orientales ob eximum genealogiae studium, et summam diligentiam, ea in re ab ipsis adhibitam, vllō modo turbari potest, imprimis cum nulla idonea causa adsit, cur regum ordinem sollicitemus. Nomen regis, *Cai*, his regibus praemissum, infirmius est argumentum, quam quod ideo series regum mutari possit, nam in libro Pehlevico Bondehesch non solum tribus istis nomen *Cai* praefigitur, sed etiam *Cai Gustaspus, Cai Lohraspus* commemorantur. Denique hoc epitheton non eximiam horum regum dignitatem atque potentiam declarat, imo absque singulari significato nominibus additur, et, si vel praecipua horum regum majestas eo indicaretur, quid est impedimento, quo minus de Medorum regibus, summa potentia conspicuis, cogitemus. Tum <sup>u)</sup> enim *Sofarmus*, ab anno septingentesimo quadragesimo sexto, ad septingentesimum quadragesimum secundum, *Artycas*, ab anno septingentesimo quadragesimo secundo, ad septingentesimum decimum nonum, *Arbianes*, ab anno septingentesimo decimo nono, ad sexcentesimum nonagesimum septimum regnarunt. *Cai Cobadem*, siue Patrem, siue avum, ex Orientalium auctoritate *Cai Caus* <sup>v)</sup> secundus Caianiorum rex secutus est, qui in regione Mazanderanensi proelio regem interfecit, sed alia expeditione in terram Mazanderanensem facta, pugna verso Marte conferta, in ipsorum captivitate vixit, donec eum *Rostamus* a vinculis liberaverit, cui

<sup>r)</sup> Neue Welt- und Menschengeschichte, übersetzt von Hilsmann. Th. I.  
<sup>u)</sup> Diod. II, 32.      <sup>v)</sup> Herbel. Th. II, p. 59.

cui haud ita multo post Syriam, Aegyptum, et Asiam minorem subactam, sororem in matrimonium dedit. Cai Cao, in bello, contra *Zulzogarem* Arabiae regem, gesto, filia huius pulcherrima obtigit, qua in Cai Cai castra missa, *Cai Caus* cuius gaudio se dedit, et vino, atque amore obrutus, mox a *Zulzogare*, rege Arabiae oppressus est. Cum *Rostamus* ei liberando succurreret, *Zulzogares* consilium pacis cum eo ineundae cepit, eique regem ac proceres captiuos reddere promisit, si terra ipsius ab exercitu hostili relinqueretur. Conditione accepta, *Cai Caus*, ex Arabia reuersus, *Sodabam*, *Zulzogaris* filiam, in Persiam adduxit, cuius incautos amores Poetae Orientales saepius decantarunt. Mox cum *Cai Cao* nunciatum esset, *Afrasiabum* Gihonem transisse, et Persiam inuasurum esse *Rostamus*, et *Siaveschus*, filius Cai Cai, ei obuiam euntes, supplici pacem concedunt, non solum *Caicao* improbatam, imo sublatam, siquidem *Siaveschum*, et *Rostamum* imperio priuauit, et *Thulum* exercitus ducem constituit. *Siaveschus*, in Turaniam confugiens, ab *Afrasiaba* filiam *Frankis* in matrimonium accipit, quam grauidam, *Cai Chofru* matrem, dolo *Afrasiabi* interfectus reliquit. Quo nuncio in Persia audito, *Rostamus Siaveschi* mortem ulturus, exercitu in Turaniam misso, *Afrasiabi* fratrem, *Gerschaspum* proelio prostermit, at *Siaveschi* filium, *Cai Chofrum* a Turaniis absconditum inuenire non potuit, quare *Guju* in Turaniam mittitur, ut eum indagaret, cui tandem contigit, cum eo conuenire deque fuga consultare, ut cum matre sua *Frankis*, felicissime ex hostium manu erepta, litore Gihonis trajecto, in Persiam rediret. Cum *Cai Cao* filius *Fraimorz* dictus superesset, deque eo dubius haereret, utrum filio *Fraimorz*, an nepoti *Cai Chofru* regnum traderet, ei regiam coronam promisit, qui arcem *Arbelorum*

lorum

lorum in regione Adherbidschanensi expugnaturus esset. *Chai Chofru*, arce expugnata, postquam Cai Caus centum et quinquaginta annos illud tenuerat, Persiae regnum quoque contigit, cui cum omnes fere longaeuam vitam tribuant, nomine ejus plures reges comprehendi videntur, qui per sexaginta tres annos, ab anno sexcentesimo nonagesimo octauo, ad sexcentesimum trigessimum quintum regnarunt, nimirum *Artaeus* et *Artynes*.<sup>w)</sup> *Artaeo* rege *Parsondes*, quandam regii tribunalis sententiam aegre ferens, ad *Cadusios* transfugit, et, grauissimo odio contra *Medos* in iis excitato, aditus terrae *Cadusiorum* magno exercitu ita occupat, vt *Artaeo*, qui ipsum ob seditionem castigaturus erat, clade ingenti prostrato, *Cadusiorum* fines defenderet. Post *Artaeum*, ab anno sexcentesimo nonagesimo septimo, ad sexcentesimum quinquagesimum septimum *Medis* imperantem, *Artynes* regnum occupat ab anno sexcentesimo quinquagesimo septimo, ad sexcentesimum trigessimum quintum.

Orientalis *Cai Caum* ob diuturnum ipsius imperium cum *Nemrodo* comparant, qui eum a radice *mauariden* immortalem dictum esse putant, quae tamen interpretatio e *Semitica* dialecto non petita, vix admittenda erit, neque si vel probari posset, talis similitudo nos eo adducere debet, vt tempora diuersissima confundamus.

Orientalis *Cai Cao* successisse tradunt, nepotem ipsius, *Cai Chofrum*, *Siaveschi* filium, qui patris mortem vlturus, in *Turaniam* irrupit; sed variis proeliis commissis, tandem *Afrasiabum* inter et *Cai Chofrum* conuenit, de duodecim viris ex utroque exercitu eligendis, qui manus conferrerent, quorum fors genti suae vel cladem vel victoriam pararet.

<sup>w)</sup> Diod. II, 33. et 34.

raret. Turaniis victis, et pace cum Persis modo restituta, *Afrasiabus* prouincia Chorasanensi deuastanda eam mox rupit. Cum *Furudes*, frater *Cai Chofru*, ex alia matre a *Cai Cao* susceptus, in Turaniorum terris ab *Afrasiabo* arci cui-dam praefectus esset, *Cai Chofru*, *Fraiborzo*, et *Thuso* du-cibus exercitus contra Turanios missi mandata dedit, vt vitam eius tuerentur, ad quae peragenda *Furudem* mo-nuerunt, eique de *Cai Chofru* voluntate, et animo persua-dere studuerunt. *Furudem* his incitamentis neglectis, pugna facta periisse, ad regis aures pertingit, quo audito, iratus *Thusum*, vinculis constrictum, ad se mitti, et *Frai-borzo* imperium tradi iubet, qui a *Pirano Vissch* prostra-tus, celerrima tantum fuga sibi consuluit. Imperio ad *Gudarzum* translato, auxiliisque a *Thuso* duce missis, Per-sae tamen a Turaniis in terras Chorasanenses repulsi, a *Ro-stami* copiis tandem sustentati, *Rostami* \*) incredibili vir-tute et furore Turanios vincunt. Bella iterantur, et belli feruore aucto, *Cai Chofru* tandem *Rostami* ope *Afrasia-bum*, et fratrem ipsius *Schaidam*, in regione *Adherbid-schanensi* errantes, neci tradidit. Narrant, *Cai Chofru* virtute serpentem horrendum occisum, ideoque *Balcae* pyraeum ab ipso exstructum fuisse, vbi inde a *Cai Chofru* temporibus sedes regum Persiarum ideo fuit, vt eo facilius Turaniis dominarentur. *Cai Chofru* ibi vixit, donec curis regiis sepositis, in deserta abiisse dicitur, quia de morte ipsius parum certi norunt. Cum *Cai Chofru*, quem nona-ginta annos vixisse et sexaginta regnasse tradunt, *Medorum* rex *Antibarnas*, y) ab *Herodoto* z) *Cyaxares* dictus, com-parari poterit, cuius aetate Parthi a *Medis* defecerunt, deni-

x) *Herbel. Th. III. p. 785. Ferdosi Shah Nameh Book VIII.*

y) *Diod. II, 34.* z) *Herod. I, 104. et 105.*

## G

denique vero vrbe et terra, Sacis, genti Scytharum ad montem Emodum degenti, tradita, post strages cruentas editas, pacem cum Medis inierunt. Cum ab omnibus circa haec tempora Scytharum inuasio in Asiam facta commemoretur, Herodotus quoque narrat, Scythas Madya duce ex Europa in Asiam irrupisse, eamque fere totam per viginti et octo annos occupasse, sed eos tandem a Cyaxare victos, et imperio priuatos esse. Scythis ex Asia expulsis Cyaxares bellum Lydis <sup>a)</sup> infert, qui Scythis auxilia tulerant, vbi anno sexcentesimo ante Christum natum ex variorum Astronomorum sententia, solis eclipsis, terrore militibus incutiendo, pacem restituit. <sup>b)</sup> Vtrum vero Scytharum imperium viginti et octo annos in Asia fuerit, de eo dubitem, quia tum non apparet, quomodo Scythae tam diu Asiae dominantes a Medis vinci, et ex Asia expelli potuerint, et ad quodnam tempus bellum contra Lydos gestum, atque obsidio Niniues referri debeat. Niniven <sup>c)</sup> quidem anno sequenti post pacem restitutam Cyaxares occupat, sed plures anni post Scythas domitos praeterlabi debuerunt, ante quam Medi Lydis bellum, per quinque annos gestum, inferre potuerunt. Ne igitur haec facta, Cyaxaris regnum quadraginta annorum, ab anno sexcentesimo trigesimo quinto, ad quingentesimum nonagesimum quintum a. C., excedant, imperio Scytharum breuius tempus duodecim annorum cum Orientalibus <sup>d)</sup> tribuendum erit.

Quam belli, contra Lydos gesti, causam Herodotus <sup>e)</sup> inde repetit, quod Scythae, quibus Cyaxares bene cupiens pueros in lingua Scytharum, et arte telorum jaciendorum

eru-

<sup>a)</sup> Herod. I, 73. et 74.

<sup>b)</sup> Herod. I, 74.

<sup>c)</sup> Herod. I, 106.

<sup>d)</sup> Herod. I, 73.

<sup>e)</sup> Herbel. Th. I, p. 189.



erudiendos tradiderit, ob injuriam ipsis factam, Cyaxaris filiis trucidatis, ad Alyattem Lydorum regem fugerint, a quo defendebantur, ea vix cuiquam probari poterit, qui de Scytharum inuasionem, eodem tempore facta cogitauerit.

Quamuis *Lohraspus* *f)* cum *Cai Chofru* nulla affinitate conjunctus erat, ei tamen ob praeclaras animi et corporis virtutes successit. Disciplinam militarem emendasse, atque arma exercitu, Rahamo duce, misso contra Palaestinam tulisse traditur, qui Syria et Palaestina in potestatem redacta, Hierosolymisque expilatis, pro rege *Bokht Nasser* habitus est. *Lohraspo* fuit filius, *Kischtaspo*, qui fastu elatus patrem de throno deturbare studuit, sed ab aliis destitutus, patria relicta ad Turanios concessit, quibus ad iutus patri bellum intulit, quod pater eo minus feliciter confici posse sperauit, quo plures Persae ad Turaniorum partes transferunt. Cum igitur *Kischtaspo* sponte imperium post viginti sex annos tradidisset, *Balcam* abiit, vbi paulo post ab *Ardschasto*, *Afrasiabi* fratre, interfectus est. *Anquetilius* *g)* in hanc sententiam quidem concessit, ut, quae Orientales de *Lohraspo* narrant, alia ad *Astyagem*, alia ad *Cyrum* transferret, sed traditionibus Orientalium conuenientius quaedam Cyaxaris aetati, nonnulla *Astyagis* regno tribuenda videntur. Narratio de remotissimis *Lohraspi* expeditionibus ad Cyaxaris tempora, bellum vero a filio *Kischtaspo*, patri *Lohraspo* illatum, ad *Astyagem* referri debet. Cum *Lohraspo* igitur, ut modo ostendi, *Antibarae* siue *Cyaxaris* successor *Astyages*, vltimus Medorum rex, a *Cyro* regno exutus, comparandus erit, cujus somnia, et crudelitatem in nepotem atque *Harpagum* *h)* *Herodotus* narrat. Si regno *Astyagis* triginta quinque annos tribui-

G 2

mus

*f)* Herbel. Th. III, p. 199.

*g)* Anquetil Memoire sur Herodote et Ctesias.

*h)* Her. I, 108—119.

mus *i*) ita, ut inde ab anno quingentesimo nonagesimo quinto, ad quingentesimum et sexagesimum Medis imperaverit, tempus cum omnibus fere Graecis convenit, qui Olympiadis quinquagesimae quintae primo anno Cyrum rerum potitum esse tradunt, *k*) sed cum Ptolomaei canone annos viginti duo regis Cyri (ab anno quingentesimo sexagesimo, ad quingentesimum trigessimum octavum), ad Babylonem eversam, Medorum imperio adjiciamus, quia inde a Babylone expugnata Persarum principatus demum incipit. Cum his igitur Medorum regibus, Asiae principatum tenentibus, neque cum dynastis Ninives vel Babylonis, quanquam plures regibus Medorum non parebant, reges Orientalium comparandi sunt, quos tamen recensimus, quorum quippe res in Assyriorum historia haud infimum locum tuetur. Series Regum Medorum igitur inde ab anno octingentesimo quinto, ad quingentesimum trigessimum octavum imperantium haec fuit.

| Regis Nomen          | Regnat | Annos | Ab Anno       | Ad Anno           | a. C.                 |
|----------------------|--------|-------|---------------|-------------------|-----------------------|
| Arbaces <i>l</i> )   | regnat | 28    | annos ab anno | 805 <sup>to</sup> | ad 777 <sup>num</sup> |
| Mandaucis <i>m</i> ) | —      | 31    | —             | 777 <sup>mo</sup> | — 746 <sup>tum</sup>  |
| Sofarnus <i>n</i> )  | —      | 4     | —             | 746 <sup>mo</sup> | — 742 <sup>dum</sup>  |
| Artycas <i>o</i> )   | —      | 25    | —             | 742 <sup>do</sup> | — 719 <sup>num</sup>  |
| Arbianes <i>p</i> )  | —      | 22    | —             | 719 <sup>mo</sup> | — 697 <sup>num</sup>  |
| Artaeus <i>q</i> )   | —      | 40    | —             | 76 <sup>mo</sup>  | — 657 <sup>num</sup>  |
| Artynes <i>r</i> )   | —      | 22    | —             | 657 <sup>mo</sup> | — 635 <sup>tum</sup>  |
| Artibaras <i>s</i> ) | —      | 40    | —             | 635 <sup>to</sup> | — 595 <sup>tum</sup>  |
| Astyages <i>t</i> )  | —      | 55    | —             | 595 <sup>to</sup> | — 540 <sup>num</sup>  |
| Cyrus <i>u</i> )     | —      | 22    | —             | 560 <sup>mo</sup> | — 538 <sup>vum</sup>  |

*Dyna-*

*i*) Herod. I, 130.

*k*) Euseb. Praep. Euangel. L. X. c. 10. Diod. Sicc. Fragmenta. Tom. II. p. 640. et ed. Wesseling. *l*) Diod. II, 33.

*m*) Cum in singulis regum annis vix vni ob nimium eorum dissensum solummodo fides haberi possit, regnum Mandaucis, auctoritate quidem destitutus, sed computu totius spectato, constituitur.

*n*) Jul. Afr. Excerptt. Chronologg. p. 78.

*o*) ibid. *p*) Diod. II, 32.

*q*) Diod. II, 32.

*r*) Diod. II, 34.

*s*) Her. I, 106. Diod. II, 34.

*t*) Herod. I, 130.

*u*) Syncell, p. 206.

*Dynastae Ninives.*

Ninus secundus <sup>v)</sup> Sardanapali filius, ad Cottam Paphlagoniae praefectum missus, cum Arbaces Niniven obsidione premeret, tandem ad Niniven rediisse, et per vnde viginti annos ibi regnasse fertur. <sup>w)</sup> Saraco, <sup>x)</sup> primo post bellum contra Lydos gestum anno, a Cyaxare et Nabopallare devicto, Ninive devastata est, vnda ea, quae Diodorus <sup>y)</sup> de Ninive ab Arbace eversa narrat, corrigenda deque ejus occupatione intelligenda erunt.

*Dynastae Babylonis.*

Belesy, <sup>z)</sup> quem Arbaces anno octingentesimo quinto a. C. Babylonis satrapam constituerat, Nabonassar succedit, nam Belesyn inter et Nabonassarem nullus Babylonis satrapa commemoratur.

Cum a Ptolemaeo <sup>a)</sup> inde a Rege Nabonassare, ad Alexandri obitum quadringenti et viginti quatuor anni numerentur, nimirum ducenti et nouem a Nabonassare ad Nabonidum, ducenti et septem a Cyro, ad Darii Codomanni mortem, et octo a regno Persarum everso ad Alexandri mortem, <sup>b)</sup> qui Olympiadis centesimae decimae quartae anno secundo (post regnum tredecim annorum) mortuus est, aera Nabonassarum annum septingentesimum quadragesimum septimum a. C. attingit, cui numero si quinquaginta octo annos Belesys addideris, octingentesimus quintus a. C. annus, primus regni Medorum prodibit. Aera Nabonassarum temporum rationes supra propositae, egregie comprobantur, quae, si vel in quibusdam annis a vero aber-

G 3

rent

v) Diod. II, 26.

w) Reliqui Ninives dynastae inter Ninum et Saracum a Graecis omittuntur.

x) Syncell. Chron. p. 207. et 210. y) Diod. II, 27. z) Diod. II, 28.

a) Syncell. Chron. p. 208. et Ptolom. in Canone Astronomico.

b) Diod. XVII, Just. XII, 16. cf. XI, 1.

rent, Julii Africani chronologiam, Medorum regno ducentos et sexaginta septem annos tribuentem, proxime a vero abesse eo certius euincit, quo firmioribus fundamentis Nabonassaris aera nititur, ex astronomicis obseruatis facta, cui ferior usus, quippe qui Marci Aurelii aetate demum invaluit, atque recentiora ipsius initia vix quicquam detrudere possunt. Causa enim, cur a Nabonassaris regno temporis ordinem restituerit, neque ulterius adscenderit, in basi ejus chronologica, i. e. in defectu obseruatorum astronomicorum latere videtur, quae ad Belesys tempora non redierunt. Singulis regibus a Nabonassare, ad Nabonidum ducentos et nouem annos tribuit, quibus si adjeceris quinquaginta octo annos dynastiae Belesys, ducenti et sexaginta septem anni regni Medorum efficientur. Ptolomaeus reges Babylonis in Canone Astronomico sic disposuit.

|                      |    |       |                        |   |       |
|----------------------|----|-------|------------------------|---|-------|
| Nabonassar regnat    | 14 | annos | Meseffimordacus regnat | 4 | annos |
| Nabius               | —  | 2     | Interregnum            | — | 8     |
| Chinzirus sine Porus | —  | 5     | Assaradinus            | — | 13    |
| Jugaeus              | —  | 5     | Saosduchaeus           | — | 20    |
| Mardocempades        | —  | 12    | Chyniladan             | — | 22    |
| Arcianus             | —  | 5     | Nabopolassar c)        | — | 21    |
| Interregnum          | —  | 2     | Nabocolassar d)        | — | 43    |
| Belibus              | —  | 5     | Ilowardam e)           | — | 2     |
| Apronadius           | —  | 6     | Nerecollassar f)       | — | 4     |
| Rigebelus            | —  | 1     | Nabonadius g)          | — | 17    |

Scripto-

- c) Regnum vsurpat, et senex filium regni socium admittit. Syncell. p. 206.  
d) Rege Aegypti Necho ad Euphratem clade immissa profligato, Carchemisch urbem Aegypti occupat. Ex Eupolemi fragmento in Eusebii praeparatione Euangelica L. IX. c. 59. et Syncelli Chronographia p. 210. apparet, eum cum Artibara Medorum rege foedus pepigisse, ad Palaestynam et Syriam incredibili copiarum vi subjugandam. Judaea deuastata ac templo spoliato, regem abduxit, et secundum Abydenum ex Megasthene, in Eusebii Praeparationis Euangelicae L. IX<sup>uo</sup>, Tyro expugnata, Aegypto minatus, tributis Aethiopiae impositis, ad Iberiam vsque peruenit, et Babylonem nouis cimeliis ornauit. e) Syncell. p. 226.  
f) Ibid. et Cedr. Annal. p. 113. g) Ibid. Sync. et Cedr. Her. I, 74.

Scriptores Sacri Medis Assyriae ac Babylonis reges opponunt, quos inde ab anno trigesimo octavo regis Judae Azariae commemorant. <sup>h)</sup> Circa annum septingentesimum septimum a. C. Phul <sup>i)</sup> rex Assyriae, Samaria occupata, a Rege Menahemo multam pecuniam exegit. Tertio post decimum fere anno (757 a. C.) Tiglath Pileffer, <sup>k)</sup> Assyriae rex, Samaria devastata primo Pecaë Regis Israelitarum anno, Hionitas, Abelenfes, Beth Maechitas, Janohenfes, Kedesitas, Hazoritas, Gileaditas, Galilaeos et tribum Naphtalitarum in Assyriam abduxit. Anno post decimum septimo (740 a. C.) Ahafus Tiglath Pilefferem <sup>l)</sup> Assyriae regem, magnis muneribus missis, in auxilium contra Rezinum Syriae regem vocavit. Quindecim annis post, (725 a. C.) Salmanasser <sup>m)</sup> Hoseae, regi Samariae tributa imposuit, quae cum non soluerentur, sex annis post, (719 a. C.) Samariam occupavit, et Israelitis in Assyriam adducendis, Halam et Haborem ad flumen Gofanense et vrbes Medorum <sup>n)</sup> novas sedes constituit, Samariamque a Babyloniae, Cuthae, Avaë, Hevathi civibus, et a Sepharvaimitis coli iussit. Cum octo annis elapsis (711 a. C.) Rex Hiskias Regi Assyriae tributa negaret, Sanheribus <sup>o)</sup> Judaeam devastavit, neque, muneribus ab Hiskia acceptis eam prius reliquit, quam cladem centum et octoginta quinque milium hominum contraxisset. Cum Niniven rediisset, intercul-

<sup>h)</sup> Septingentesimo septuagesimo a. C. v. Desvignoles chronologie P. II.

<sup>i)</sup> II. Reg. XV, 19. <sup>k)</sup> XV, 27. cf. 29. <sup>l)</sup> XVI, 7.

<sup>m)</sup> II. Reg. XVII, 1. cf. 5, 6 24.

<sup>n)</sup> Salmanasser ideo Medorum rex non fuit, quia vrbes Medorum ab Israelitis habitari concessit, cum Ninives et Babylonis reges Medorum Caesaribus quodammodo parerent. Ciues vero Babyloniae Hierosolyma adduxit, quia reges Ninivitarum ante Berodachum Baladanum, Babylonis regem, Babyloniis dominati sunt.

<sup>o)</sup> II. Reg. XVIII, 13, XIV, 35 — 37.

cultum Nifrocho factum, ab Adramelecho, et Sarazere filiis ipsius, in aedibus sacris interficitur, cui filius Afferhaddon successit, in quem Sacri scriptores definunt. Quia hi reges Assyriae, a sequentibus Babylonis regibus in libris sacris discernuntur, et Sanheribus in Ninive commoratus est, nescio, annon a vero proxime absis, quando illos pro Ninives regibus habueris, cui opinioni non solum illud fauet, quod ab exteris scriptoribus *p)* Saracus, Ninives rex, a Nabopalassaro devictus commemoretur, sed eorum *q)* quoque consensus, qui Cyaxaris aetate Ninum demum eueriam esse narrant. Qua de causa Reges a Phule, vsque ad Afferhaddonem, cum regibus Babylonis, a Ptolomaeo commemoratis, comparari nequeunt.

Agmen regum Babylonis potentiorum, a Scriptoribus sacris laudatorum, Berodachus Baladanus *r)* ducit, qui per legatos Hiskiae valetudinem restauratam gratulatus est, etsi rex Assyriae contra Judaeos bellum gesserat, neque igitur cum successore Sanheribi commutari potest, quamvis ejus aetas intra quindecim posteriores Hiskiae annos (ab anno 711<sup>mo</sup>) vsque ad 696<sup>to</sup> a. C. incidat. Temporibus Manassis, Amonis, et Josiae, Judaeae regum, qui per octoginta annos (ab anno 696<sup>to</sup> ad 608<sup>vum</sup> a. C.) imperarunt, Regum Assyriae nulla fit mentio, nisi quod Pharaon Necho *s)* rex Aegypti, expeditionem contra Assyriae siue Babylonis regem, ad Euphratis littora fecerit, qui vero a Nebucadnezare tum Assyriae rege devictus est. Cum Nebucadnezar Jojachim suae quoque potestati subjecisset, Judaeam *t)* inuasit, et Hierosolymis expilatis, rege ac proceribus abductis, novum Hierosolymorum regem Zede-

*p)* Syncell. p. 210.

*s)* II. Reg. XXII, 29.

*q)* Herod. I, 106.

*t)* XXIV, 1, 12, 17.

*r)* II. Reg. XX, 12.

Zedekiam constituit, quem a Nebucadnezare deficientem, crudeliter castigatum cum magna civium copia Babylonem misit. Haud ita multo post, Judaei Babyloniorum odia et iras iterum experti sunt, cum Nebufar Adan, dux exercitus Babylonii, monumentis et vasis sacris ablatis, residuam populi partem in exilium abduceret. <sup>u)</sup> Anno trigesimo septimo, postquam Jojachimus regno priuatus erat, primo Evil Merodachi, Regis Babylonis, Jojachimus imperium Judaeae recuperavit, vnde Nebucadnezarem, qui Jojachimo abducto, jam octo annos regnarat, quadraginta quatuor annos (ab anno 608<sup>vo</sup> vsque ad 564<sup>to</sup> a. C.) imperium tenuisse sequeretur, nisi ex his octo annis vnus ad Nabopalassarem, patrem Nebucadnezaris referendus videatur, quia Pater filium in regni societatem abduxerat; ne cum Ptolomaei canone pugnemus.

Liber Danielis, Nebucadnezaris filium et successorem, quem Jeremias, <sup>v)</sup> et auctor libri secundi Regum <sup>w)</sup> Evil Merodachum appellant, Belsazerum fuisse dicit, <sup>x)</sup> neque quicquam memoria dignum de eo tradit, nisi quod aliquando post habitas splendidissimas epulas, inter quas oraculum de eo edebatur, occisus sit. Quo interfecto, Darius Medus regnum obtinuisse traditur, antequam vero de eo accuratius exponimus, ad librum Judith redeamus, deque ejus fide atque auctoritate videamus.

Cum libri Regum et Chronicorum, nec non Jeremiae ac Davidis oracula, nihil de Holofernus morte commemorent, neque heroicam Judithae virtutem praedicent, gravis exorietur de rei veritate dubitatio, quae multum augeatur necesse est, si narrationem in variis cum historia

<sup>u)</sup> II. Reg. XXV, 7, 11 — 20. 27.      <sup>v)</sup> Jer. LH, 51.  
<sup>w)</sup> II. Reg. XXV, 27.      <sup>x)</sup> Dan. V, 1. 2.

ria pugnare videas. Consilium enim auctoris huius libri illud fuisse videtur, vt Judaeorum felicia odia in hostem, suae ciuitatis euersorem, enarraret, et animis, ob magnam cladem afflictis, hoc qualecunque solatium pararet; quare errores historicos in scriptore serioris aetatis excusandos esse putem, cuius non fuit, bellum Assyriorum contra Judaeos enarrare. Arphaxadi, *y*) Ecbatanorum conditoris, Medorum regis, Nebucadnezar, Ninives rex, aequalis fuisse, eique bellum intulisse fertur, in quo a populis Euphrati, Tigridi et Hydaspis vicinis adiutus, Arphaxadum in campo Bagaviensi prostravit. At quis est Arphaxadus, Medorum rex, Nebucadnezaris aequalis? Neque cum Syncello, *z*) neque cum Herodoto *a*) noster scriptor conuenit, qui Artibaram vel Cyaxarem Nebucadnezaris (Labyneti) aequalem sistunt, neque in narratione belli, contra Medos gesti, vllius auctoritate nititur, imo cum iis pugnat, qui Cyaxarem in expugnanda vrbe Nino Nebucadnezaris auxilio vsum esse tradunt. Deinde manifestus error in eo deprehenditur, quod Arphaxadus Ecbatanorum conditor dicatur, *b*) quae jam ante Semiramidem aedificata fuerunt, in quibus Arbaces *c*) iam versatus est. Fortassis Arphaxadus a nostro scriptore cum Arbace commutatur, eique, tanquam novarum rerum auctori, origines Ecbatanorum tribuuntur, quae auctor, Medorum historiae parum peritus, ad Nebucadnezaris aetatem transtulit, cum consilio suo satisfactum videretur, si modo lector intelligeret, Nebucadnezaris potentiae, hoste metuendo superato, noua accessisse incrementa. Tum Nebucadnezarem in vrbe Ninive sedisse

con-

*y*) Judith I, 5.

*b*) Diod. II, 13.

*z*) Syncell. p. 210.

*c*) Diod. II, 28.

*a*) Herod. I, 74.



contra omnium testimonia refert, qui Babylonem ab ipso habitatam esse tradunt, de quo eo minus dubitari poterit, quo certius Ninum ipsius temporibus, atque ipsius auxilio a Cyaxare euersam esse constat. Porro libri auctor Nebucadnezaris socios, populos Euphrati, Tigridi et Hydaspis vicinos nominat, quod ab omni probabilitate destituitur. Si quid enim errorem aperto indicat, profecto hoc est, quod gentes Mesopotamiae cum populis Hydaspis finitimis jungantur, quos fere triginta gradus longitudinis segregant. <sup>d)</sup> Gens, ad montes Emodos in extremis Scythiae confiniis habitans, Nebucadnezari Medorum regem impugnanti, nulla auxilia mittere potuit. Si quis vero in tam breui narratione tot et tam graues errores animaduertit, fidem atque auctoritatem historicam merito ei denegabit.

Liber Danielis autem, fons in historia posteriorum Babyloniae regum, suam vtilitatem ad illustrandam Babyloniorum historiam non amittet, si vel non omnes libri hujus particulae a Daniele proficiscantur, sed aliae ab alio collectae, aliae ab editore additae sint. Si enim vel de narrationum veritate dubitemus, non est, cur breues capitum titulos in suspicionem adducamus, et si vel caput lectum oraculorum Danielis ab ipso non profectum, sed ab alio ex variis traditionibus compositum sit, tum quoque exinde probari poterit, Darium Medum anno sexagesimo secundo aetatis suae regnum occupasse, praefectos prouinciarum constituisse, eumque Medorum atque Persarum regem fuisse, neque quisquam de his nulla difficultate impeditis dubitauit.

H 2

Nebu-

d) Hydaspis nomine nullus in Mesopotamia fluius reperitur, vt vult Oertel in Thesauro Geograph, ad vocem Hydaspes.

Nebucadnezaris filius, aliis Evil Merodach, Danieli Bellazer, Graecis <sup>e)</sup> *Ilowardamus* dictus est, cujus tertio anno commemorato, et reliquis Babylonis regibus omiſſis, ad Darium Medum Babyloniorum regnum ſtatim tranſiſſe narrant.

Quicquid de eo ſentias id tamen apparebit, Daniele in Bellazere hiftoriam regum indigenarum Babyloniorum finiſſe, eorumque res non plene deſcripſiſſe, quia Bellazere mortuo, ſimpliciter Darius Medus rerum Babyloniarum potitus eſſe legitur, neque eo ipſo reges inter Bellazerem et Darium excluduntur. <sup>f)</sup> Danielis enim libro, omni chronologia deſtituto, rerum ſerie mirum in modum lacerata, vix in rerum nexu tantum pondus erit, vt hypotheſis parum probabilis iudicanda ſit, ex qua inter Bellazerem et Darium reges alii numerentur, imprimis cum in eo inter ſe conueniant, quod Bellazer et Ilowardamus interfectus ſit, neque Danielis liber annos regis Bellazeris indicet, quos igitur ad vltimi Babyloniae regis tempora per viginti et duo annos (a 561<sup>mo</sup> ad 538<sup>vum</sup>) extendere licet. <sup>g)</sup> Regno aetatis ſuae ſexageſimo ſecundo occupato, Darius Medus prouinciarum centum et viginti praefectos conſtituit, tribus principibus ſubjectos, cujus muneri Daniel tam praeclare praefuit, vt rex conſilium iniret, eum ſummum regni praefectum creandi. Principes reliqui inuidia agitati, qui Daniele e medio tollere quidem non ſuſtinebant, ſed iuſtitiae quadam ſpecie eum perdere malebant, a Rege impetrant, vt legem ex Medorum et Perſarum iure immutabilem ſanciat, quae iuberet, a nemine intra viginti dies neque ad Deum, neque ad hominem,

<sup>e)</sup> Syncell. p. 206.

<sup>f)</sup> Dan. VIII, c. V, 40.

<sup>g)</sup> Dan. VI.

nem, nisi ad regem preces esse faciendas. Daniel Judaeus, Deum suo more adorans, in crimen legis violatae adductus, ex Medorum et Persarum jure capitis damnatur, neque a rege liberari potest, quia regni principes maxime urgent, legem a rege sancitam e Medorum atque Persarum jure non mutari posse. Haec satis perspicue Darium declarant regem, qui post Babylonem a Cyro expugnatam, regnum tenuit, cum rex Babyloniae Medorum et Persarum juribus adstringi non potuisset, nisi Medi et Persae Babyloniae imperassent. Qua de causa in Syncelli et Cedreni sententiam abire non possumus, qui Darium, Astyagem et Nabennidum vnum eundemque fuisse putant, siquidem Graeci Babylonem ab Astyage expugnatam esse nunquam referunt, <sup>h)</sup> imo Babyloniae regnum, vltimis temporibus, Medorum regibus non amplius paruisse constat. Quis igitur erit, nisi vicarius regni, Babyloni a Cyro datus, e gente Ahasveri (Astyagis) oriundus, fortassis Cyri auunculus, cujus iram hoc modo delinire studuit, vt Babylonis Satrapiam ei concederet. Si fratrem Astyagis intellexeris, profecto aetas ipsius cum annis Darii Chaldaeorum regis conueniet, ad quos Darius genus retulit, tumque apparebit, cur leges Medorum et Persarum in Babylone valuerint, nimirum quia Cyrus, Persarum rex, Babyloni expugnatam Medum praefecerat. Si Astyages sub Dario lateret, Persarum a Medis debellatorum jura non ab hostibus Danielis commemorari potuissent, neque vllius momenti hac in re decernenda fuissent. Si quis vero dubitauerit de hujus sententiae veritate, quod sic non appareat, quomodo Darius Cyro prior com-

H 3

memo-

<sup>h)</sup> Cedren. Anal. p. 115. Syncell. p. 226.

memorari possit, cui Cyrus successisse videatur, is Judaeum narrare cogitet, qui omnia eatenus aestimat, quatenus ad suas res faciunt, et populi Judaici fata attingunt. Quae cum ita sint, Darius Babyloniae regulus, a quo Judaeorum ibi degentium fors pendebat, scriptori Judaico non inferiori loco ponendus erat, quam Cyrus, rex totius Asiae, qui, Dario mortuo, Babylonem ipsemet gubernavit. Non solum enim Cyrus hoc modo Medorum animos quietos et benevolos sibi reddidit, sed etiam mos victoris fuit, regum devictorum filiis vel cognatis praefecturam tribuendi, quod nunc eo magis opus erat, quo saepius Cyrus a Babylone aberat. E decimo autem capite oraculorum Danielis apparet, chronologiam Danielis esse nullam, ubi tertio Cyri anno commemorando, Judaicus scriptor ab eo demum tempore numerasse intelligitur, ex quo Cyrus in Babylone regnavit, cum potius hic annus secundum Graecos vigesimus octavus regni ipsius esset, qui totus cum chronologia conspirat. Quo consensu nostra hypothesis egregie adjuvatur, siquidem anni reguli Babyloniae, neque in regno Medorum numerari possunt, neque Chronologia imperii Persarum difficultatibus impeditur, cum quibus illis conflictandum est, qui aut Astyagis regnum ad illa usque tempora extendere, aut etiam regem inter Astyagis et Cyri regna collocare coguntur. Priorem Syncelli et Cedreni sententiam modo tetigimus, nunc de ea dispiciamus, quae <sup>i)</sup> Josepho auctore Darium cum Xenophontis Cyaxare comparandum esse statuit. Ut vero de Dario recte judicemus, de Cyaxare paulo accuratius disquirendum erit.

Xeno-

<sup>i)</sup> Joseph. Archaeol. X, 11; 4. cf. Xen. Cyr. I, 5; 7.

Xenophon in Cyropaedia, inter Astyagem et Cyrum collocat Cyaxarem, Astyagis filium, Cyri auunculum, Ec-batanorum regem, qui Cyro regnum cum filio tradiderit. Omnes vero fateri coguntur, <sup>k)</sup> Xenophontis Cyropaediae fidem nullam haberi posse, neque eam docere quid factum sit, sed quid fieri debeat, non qualis imperator Cyrus fuerit, sed quae sint imperatoris officia. Qua de causa ii Cyropaedia abuti, et contra auctoris consilium facere censentur, qui e libro non solum in singulis cum Ctesia, Herodoto aliisque pugnante, sed in vniuersa narratione ab iis discedente, testimonia historica repetunt. Quibus concessis, neque ei fidem in Cyaxare, Astyagis filio commemorando habebimus, quia Herodotus <sup>l)</sup> diserte negat, filium Astyagi fuisse, et ne vnus quidem ex omnibus, qui a Ctesia pendent, Astyagi filium tribuit, sed omnis fere antiquitas, paucis exceptis, Medorum regnum in Astyage finit; in primis cum ratio reddi possit, cur Xenophon personam Cyaxaris in scenam produxerit, quippe qui a Cyri bonis moribus, magno ingenio et eximia virtute tantum differt, vt laudes illius eo magis resplendescant, nosque eo certius in admirationem rapiant, quo fortius Cyaxaris vitia nos in contemptum illius trahunt. Quia omnis magnitudo, quando ei alia opponitur, tum demum vere cognoscitur, Xenophon inertem strenuo, effoeminatum magnanimo, timidum forti, hebetem sagaci, impotentem continenti, inuidia agitatum laudum aemulo opponit, sicque perfectissimum ducem atque regem describit, dum quaevis bona et praeclare gesta de Cyro praedicat. Si consilium scriptoris hoc fuit, occasio admodum facilis videbitur,

<sup>k)</sup> Dionys. Hal. Epist. ad Pomp. Cic. Ep. ad Q. Fratrem I, 1; 8. Gell. Noct. Att. XIV, 3. <sup>l)</sup> Herod. I, 109.

tur, quae Astyagi fratrem siue vllum affinem tribuere potuit, cum nihil omnino perfecisse dicatur, nisi Cyro socio, vnde suspicio enascitur, ne Xenophon Cyaxarem in communionem rerum gestarum induxerit, quas Cyrus solus peregit. Quia igitur Cyaxares Xenophontis nulla auctoritate nititur, neque Iosephi testimonium, e Cyropaedia petatum, fidem meretur, ejusdem sententia improbanda erit, ex qua Darius Medus cum Cyaxare comparatur, quanquam primae origines vtriusque ex eadem traditione deriuatae videantur. Qui Aeschyli <sup>m)</sup> testimonio nitantur ad Cyaxarem historiae vindicandum, hi non cogitant, Aeschylum in multis ab Herodoto et Ctesia ideo differre, quia rumoribus magis quam certis historiae testimoniis obsecutus est, deinde ipsam initii obscuritatem traditioni incertae deberi. Si Aeschylo certa fuisset rerum Persicarum notitia, virum Medum ejusque filium clarius indicasset, quare explicatio, ex traditione communi hausta, loci hujus difficultati optime medebitur, quae ex eodem fonte in historia Darii Medi et Cyaxaris promanauit. Aeschylus enim in viri Medi filio eandem famam secutus est, modo vt affinem Astyagis cum filio ejus commutaret. Verum enim vero traditionis tam incertae, ab ingenio poetae mutatae, fons impurus atque turbidus filium Astyagi ab Herodoto diserte negatum, ab omnibus fere aliis omissum, historiae vindicare non poterit, si vel concedatur, Astyagem esse virum Medum, qui agmen regum Persiae ducit, quamuis de hoc quoque dubitare possis. Quod si Aeschylus auctorem regni Persarum, ducem exercitus, Astyagem intellexisset, eodem jure de vlllo alio Medorum rege cogitare potuisset, quibus Persae semper fere paruerunt,

<sup>m)</sup> Aeschyli Persae v. 762. ff. ed. Schütz Vol. II. Comp. I.

runt, neque Astyagem virum Medum exercitus ducem, imo Medorum regem dixisset. Quam ob causam illustrem exercitus ducem, e gente Medorum exortum, intelligere mallet, qui libertate Persarum contra Medos tuenda, infirmas ipsorum res auxit, qualis Harpagus ex Herodoti <sup>n)</sup> narratione fuit. Is enim vere Persarum imperium condidit, siquidem non solum Cyro animum addidit, ut Persas a Medorum dominio liberaret, sed etiam partibus Astyagis in proelio deferendis, victoriam ad Persas transtulit, omnique Asia minori debellanda, regni Persarum auctor fuit. Ei filium fuisse, vel ex Herodoti narratione intelligitur, qui si fuerit superstes, neque ut Herodotus <sup>o)</sup> tradit, ab Astyage trucidatus, inter duces Persarum referri potuit, quamvis haec hypothesis ab historia destituatur, quae de Harpago filio nihil exponit, nisi quae Herodotus de ejus morte narrat. Negari certe nequit, Harpagum optime regni Persarum auctorem dici potuisse, imprimis si Aeschylus ante Cyrum Persiae regem, duces atque imperatores solummodo commemoravit, quorum ope adjutus regno potitus sit. Quam conjecturam, si ut minus probabilem abjece- ris, Aeschylum, affinem Astyagis cum filio ipsius commutasse saltem concedes, cum loci difficultas et obscuritas non patiatur, Aeschyli auctoritatem in Persarum regum serie restituenda quicquam decernere posse. Fateor quidem ab Orientalibus scriptoribus in utramque partem nihil definiri, tum quia Cai Cholru nomine plures reges comprehenduntur, tum quia regnorum anni non indicantur, e quibus forte elici posset, an Cyaxari tempus relinquatur. At Cyaxarem, Astyagis patrem, cum Cai Cholru,  
Afra-

<sup>n)</sup> Herod. I, 123, 124. cf. 127. 177.    <sup>o)</sup> Herod. I, 117 — 119.

Afrasiabi victore, melius conuenire, quam Cyaxarem Xenophontis, nemo facile inficias ire poterit. Si igitur eadem traditio in Dario Medo atque Cyaxare II<sup>do</sup> reperiatur, et vterque ad Astyagem genus referat, eatenus tamen inter se comparari nequeunt, quatenus Cyaxares, Medorum, Darius Medus vero, Chaldaeorum rex describitur. Si quis ea de causa Darium Medum pro Astyage habuerit, quia Bahylonis satrapam, a Cyro constitutum, regem appellari posse negat, is primum cogitet, plura esse nomina diuersae dignitatis, quibus reges apud Orientales denotentur, quam diuersitatem Ebraei vix indicare possunt, quippe quorum מלך τω שר eo sensu opponi nequit, vt illo princeps, hoc imperator significetur. Judaeis igitur, Babylonis Satrapa rex dici poterat, etsi Persico sermone dignitas imperatoris Cyri, et reguli Babyloniae, diuerso nomine distingueretur. Denique dubitari quoque poterit, vtrum temporis indicia, in Danielis libro, ab auctore profecta sint, an alii debeantur, cum vel in ea libri parte, quam omnes ad Danielelem, tanquam auctorem, referunt, temporis notitia, e traditione hausta, ab alio addita videatur, quia hominibus, tum viuentibus, vix opus erat indicatu, quo tempore hoc vel illud somnium Danieli contigerit, sed ab eo, qui seriori aetate singulas libri partes composuit, talem notitiam adjunctam esse, nemo mirabitur. Leue tamen erit discrimen, vtrum Daniel, an alius, Darium dixerit regem, siquidem vterque Darium maxime Babylonis regem spectauit. Moses Chorenensis p) seriem Medorum regum, ex Herodoti et Ctesiae libris commixtam exhibet, atque Astyagem, viso  
per-

p) Cap. XX et XXI.



---

perterritum, Tigranis, Armeniae praefecti, sororem in matrimonio duxisse, et a Tigraue, socio Cyri, mox regno exutum fuisse tradit. De regibus Babyloniae nihil commemorat, nisi quod Nebucadnezar, octoginta annis post Saneheribum, Assyriae rex fuerit, quod cum reliquis scriptoribus non facile conciliari poterit.

Quin de regno Persarum accuratius peruestigemus, libelli angustiis impedimur.

---

2  
[Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page]

H. A. 481

2114

